




PORTII
1598







cien directeur de la
Dumas. Longue lettre
15 fr.

SIMONIS

PORTII

NEAPOLITANI,

PHILOSOPHI CLA-
rissimi,

*DE RERUM NATURALI-
um Principiis,*

LIBRI DUO:


Quibus plurimæ, eæq; haud contemnendæ quæ-
stiones naturales explicantur.



MARPURGI,

Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad.

cIↃ IↃ xcVIII.









DE RERUM NATURALIUM PRINCIPIIS LIBER Primus.

Qua Methodo investiganda sint rerum naturalium Principia ex Aristotele.

CAPUT I.



T res Naturales accuratè Aristoteles tractaret, duos ad exquisitam earum cognitionem Libros conscripsit; primum videlicet ac secundum Physicæ auscultationis: atq; id hoc consilio factum ab illo fuisse suspicor, quòd rerum naturalium principia duplici via indagare possimus; una ut fiunt: altera ut sunt: & ut res fiunt, tribus principiis, materia, privatione, ac forma constant: ut verò sunt, natura, causisq; naturalibus coalescunt. Proinde primo libro, rerum primordia ut fiunt, scrutatur: atque in secundo earundem ut jam sunt, originem investigat: verùm diversa tractandi ratione: nanq; in illo via, & naturali, & primo philosopho trita, per confusa, quæ sunt

disjuncta, dividendo incedit; & hoc pacto ea quæ ſunt circa principia inquirit, ut eorum cognitionem venetur: In hoc autem ab effectis quod eſt à ſigno, rerum cauſas rimatur. Utraque, mea quidem ſententia, his duobus tantùm de rerum principiis pertractat: nam reliqui motum expendũt, atq; huic meæ opinioni Averroes quoq; libro ſecundo Phyſicorum ſubſcribere videtur. Licet Joannes Gramm. quatuor eſſe, in quibus de principiis agat, & Adraſtus quinq;, ſuam uterque rationem inſecutus, aſſerat. Rerum ergò ut fiunt triplex proponitur principium, quo omnis motus continetur, forma, privatio, & materia: quorum duo, forma ſcilicet & privatio termini: materia verò, eorum ſubjectum appellatur: hæcq; primo libro inveſtigat philoſophus. Cumq; ea ſint interna, licet ad motum maximè pertinere putẽtur; nulla tamen ſit motoris (quòd is motionis non ſit principium internum) ut neq; finis mentio: & quoniam tria illa in omni mutatione ſunt neceſſaria, ob id dixit oportere principia ſemper manere. Porrò primo libro proœmium, ſuo inſtituto accommodatum præfixit, quo ſcopum, puta de principiis, ex quibus res fiunt & ſunt, inſtitui tractationem; ac methodum qua ea inquiri debent, & demũ ordinẽ quem in Acroamaticis libris ſervari oportet, aperit.

Id interpretes aliter atq; aliter, quòd non levis lateat difficultas, (ob affectatam Aristoteli, ut videtur, obscuritatem) in summa brevitate, & verborum propemodum repugnantia, prout quisque rectus judicavit, explicare conantur. Verumenimverò dum hi temerè ac pro lubito, Philosophum oculatissimum, multa, quæ deinde tractando non persequitur, proponere autumant, miris ambagibus ac tricis, unde se extricare nequeant, sese irretiunt: quas facilè effugiet is, qui id proponi à Philosopho, quod postea pertractet, existimabit. Atq; id solus, ut mea fert opinio, Alexander probè perspexit. Siquidem ipse Aristotelem sibi ipsi constare, atq; id quod initio proposuit, tractando exequi, sua interpretatione edocet. Cæterùm cùm Alexandri verba concisè admodum à Simplicio citenter, ejusq́ue interpretatio interciderit; quòd eam, ni fallor, posteriores neglexerint, reliquorum varia multipliciq́; expositione, ne loco alioqui difficillimo tenebras offundere, ac obscuriorem reddere videar postpositа, illa explicare nitemur; & quę alibi, ubi hęc Aristotelis verba enucleare voluit, tradidit, unũ hunc in locũ congerere conabimur; quò tum Philosophi, tum Alexandri sententia clarior elucescat. Verùm antea breviter de iis, quæ hic supponuntur, differere placet; quærereq́ue

primùm, quam ob causam Aristoteles, ut in majori alpha primæ philosophię, dignitatem illius scientiæ, ceu maximè expetendæ, quod circa causas altissimas versetur, prætexuit; & antiquiorum de rerum principiis opiniones recensuit; ac demum rerum causas finitas esse edocuit: Ita in his de natura libris idem non observarit: Deinde inquirere quoq; licet, an primæ philosophiæ secundus, (quod minus alpha græcis dicitur) ei qui de natura secũdus est, præponi, ut quidam sentiunt, debeat? Deniq; expendendum est, quid Philosophus hoc primo libro sibi sumat, ac supponat. Sunt, ut ad rem veniam, qui ea de causa hìc totius philosophiæ scopum dignitatemq́ue prætermissam arbitrantur: quod hoc opere non de rebus naturalibus, sed de principiis, quæ ceu fundamenta rebus natura constantibus jaciuntur, pertractetur: atque iccirco cum libris de cœlo præponi, ubi inquit Philosophus, scientia naturalis ferè plurima est de corporibus ac magnitudinibus & passionibus ea consequentibus. Quare hic, tanquam alieno loco non fuisse, aut scopum aut dignitatem proponendam asserunt: vel ob id potissimùm, quòd inter antiquos constaret, hanc, quæ in rerum contemplatione versatur, ea quæ actionem sibi proponit, longè esse præstantiorẽ; quam summis laudibus extulerunt: licèt eam à pri-

ma

ma philoſophia non diſtinguerent. At Ariſtoteles, ſummi judicii vir, qui hanc à naturali ſeparat, primamque eſſe cenſet, ac verè ſapientiam dicendam, quæ maximas ſummasq; cauſas conſiderat, ejus quoq; præſtantiam voluit ob oculos ponere: Simulq; quo diſcrimine inter ſe diſtent, & quid prima philoſophia inveſtigare conetur; adhæc, quomodo ſe habet per additionẽ ad mathematicen, & quam inde conſequimur perfectionem, delectationem, puritatem, ac deniq; firmitudinem edocet, hanc igitur dignitatẽ hujus ſapientiæ declaravit, à qua philoſophia naturalis ſumit omnem certitudinem, atq; firmitatẽ, & eſt philoſophi finis: nõ igitur philoſophiam naturalẽ in principio laudavit. Eſt nanq; rerũ mutationib. obnoxiarum cognitio, divina illa puritate ſynceritateq; inferior. Sed qua ratione à mathematico diſcrepet, ſuo loco poſtea explicabitur. Puto igitur equidẽ iccirco de naturalis philoſophię præſtantia nullum hîc addi verbum, quod antiquioribus eadem eſſet cum prima; quippe qui eas diſtinguere non poſſent, ſed utranq; pro una eademque haberent: Ariſtoteles verò, ſi ſemper aliquid mirãdum in natura exiſtere libro primo de partibus edocuerit; verùm non ea perfectione atq; ſinceritate, ſicut in ęternis; quapropter longè inter ſe eas diſcrepare credidit. Cæterùm, ꝙ

minus alpha primæ philoſophiæ non ſit ſecundus hujus naturalis ſcientiæ, (ut quidam malè judicarunt) jam in noſtris ejus libri cõmentationibus ſatis docuimus: nam, etſi in fine ejus libri dicat, oportere primùm conſiderare quid ſit natura: tamen per naturam nihil aliud innuit, quàm rerum naturalium cognitionem, quæ præcedere primam philoſophiam debet, ut ipſa quoq; libri inſcriptio docet, quæ eſt τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Sumit autẽ ponitq; hoc loco, res naturales eſſe, (id enim vel ſenſus docet) atque eas eſſe compoſitas. Attamen quod Ariſtot. ceu ſenſui notum prętерit, Theophraſtus, ut docet Simplicius, ratione cõfirmare voluit. Compoſitio porrò earum, ut Averroës quoq; monet, non aliunde quàm ex mutatione, quæ tribus opus habet principiis, aſtruitur. Quare inquit Alexander, ut meminit idem Averroës duodecimo primæ philoſophiæ, ſubſtantiam naturalem compoſitam eſſe probat Metaphyſicus, & ſupponit Phyſicus. Quoniam ſubſtantiam naturalem, ut ſubſtantia eſt, ille cognoſcit: hic verò motus via ac ratione cõponi eam ut naturalem aſſerit. Proinde Ariſt. ſupponit hìc ſubſtantias naturales eſſe cõpoſitas: quòd motus, quomodo fieret novus, nondũ eſſet explicatus, neq; quibus terminis cõcluderetur: ſciebat nanq; duplicem eſſe motum: æternum, ac

ac novum : atque illo duas ſubſtantias, motoris ſcilicet & moti cognoſcimus: hoc verò materiæ formæq; coagmentationem diſcimus. Nam quicquid novum eſt, materia ac forma coaleſcit. Cæterùm Theophraſtus, ut compoſitas eſſe res natulares perſuaderet, medio utitur naturali: Sed Porphyrius, ut habet Simplicius, id ad primum philoſophum pertinere putavit. Is enim cùm negātur principia, aut compoſitio; univerſalia quædam ſumit, quibus ea aſtruat. Siquidē habitu Metaphyſico, ut docet Philoſ. principia negata confirmamus. Ita nanq; ipſe contra Parmenidem, entium pluralitatem, ac principiorum multitudinem comprobat. Quare ſi quando cum iis qui rerum principia è medio tollunt, congredi velimus : licet è prima Philoſophia quædam mutuari : quandoquidem id Philoſophus ſuo exemplo nos facere docet, ut eam ob rem, diſputationem ſuam cum antiquis non eſſe verè naturalem aſſeverare poſſimus, atque id non injuria, quòd hæ ſcientiæ multa habeant inter ſe communia, ut mutuas tradere poſſint operas, ſuaſq; rationes ſibi mutuò commodare. Sed quoniam jam ſatis fuimus præfati, ad Philoſophi contextum accedamus, qui qua methodo hæc principia inveſtigari oportet, præclarè edocet, & ita habet:

Quoniam cognoſcere ac ſcire contingit circa omnes

methodos, quarum ſunt principia, aut cauſæ, aut elementa, ex horum cognitione, (tunc enim putamus cognoſcere unumquodq; cùm cauſas primas cognovérimus, & principia prima, & uſq; ad elementa,) manifeſtum eſt, quòd & ea, quæ ſunt circa principia ſcientiæ quæ de natura eſt, primum determinare tentandum eſt. Innata eſt autem ex notioribus nobis via, & manifeſtioribus ad manifeſtiora naturæ, & notiora, non enim ſunt eadem, & nobis nota, & ſimpliciter. Quapropter neceſſe eſt, ad hunc modum procedere ex immanifeſtioribus naturæ quidem, nobis autẽ manifeſtioribus, ad manifeſtiora naturæ, & notiora. Sunt autem primùm nobis dilucida ac manifeſta, cõfuſa magis, poſterius autem, ex his nota fiunt elementa & principia iis qui dividunt ipſa. Quapropter ex univerſalibus ad ſingularia procedere oportet: totum enim ſecundum ſenſum notius eſt, univerſale autem totum quoddam eſt, multa enim comprehendit ut partes univerſale. Patiuntur autem hoc idẽ quodammodo & nomina ad rationẽ. totum enim quoddam, & indiſtinctè ſignificant, ut circulus: diffinitio autem ipſius, dividit in ſingula. Ac pueri, primùm quidem omnes viros patres appellant, & matres fœminas, poſterius autem determinant horum utrumq;.

Jam antea monuimus, horum verborum difficultatem, innumeras propemodum apud Græcos, Latinos, & Arabas peperiſſe interpretationes; nec dum ſatis effugi poſſunt nodi, qui interim incidunt. Ego verò eam hu-

jus loci explicationem afferre conabor; qua ſi quæ oboriuntur controverſiæ, partim ut à propoſito alienæ rejicientur, partim verborum dilucida enarratione dirimentur. A maxima igitur ac evidenti propoſitione, qua magnum aliquod opus auſpicari conſuevit, exorditur; verbiſque utitur propriis, & inquit quòd in omni methodo, hoc eſt in omni ſcientia, (methodus enim in præſentia pro ſcientia ſumitur, & ſi alibi pro docendi via capiatur, veluti olim libro de partibus animalium prolixius docuimus:) quoniam ergo in omni ſcientia, quæ à principiis ad concluſiones progreditur, cognoſcere & ſcire contingit: conjunxit utrunque, cognoſcere & ſcire, ut excluderet intellectum intelligentem ſimplicia, & ſenſum ſingularia cognoſcentem: & ſe de dianoëtica loqui doceret, cognoſcere ergo & ſcire contingit, hoc eſt, cum ratiocinatione principia, à quibus oriuntur, concluſionem notitiæ apprehendere. Quoniam inquam, ſcire tantùm competit intellectui, & cognoſcere tam ſenſui quàm intellectui: ut explicaret ſe loqui de cognitione cum ratiocinatione ac diſcurſu, (quomodo etiam Averroës intellexit) duobus his verbis uſus eſt, atque illud contingit, capitur pro neceſſe eſt. Ut ſit ſenſus, quod in omni cognitione ſcientifica, cùm

ſcire

ſcire volumus, primùm principia aut cauſas oportet cognoſcere. Addidit, cauſas; quia multa de rebus, quæ carent cauſis, ꝑ effectus ſcimus, atq; ea notitia ſub ſcientię genere cō-prehenditur. Verùm cùm cupimus parare cognitionem rerum quæ cauſas habent, tunc methodus ac ſcientia parta eſt, ubi cauſas cognoverimus. Hujus itaq; propoſitionis ratio hujuſmodi eſt: Ab illis res cognoſcuntur, à quibus fiunt & ſunt. Sed à principiis & cauſis res fiunt & ſunt. Igitur à principiis & cauſis ordiri oporteret. Nec dictionem methodum ad ſcientiam ſpeculativam contrahere decet: ſed omni ſcientiæ, quæ recto ordine traditur, rectaq́; via incedit, (ſive ea in rerum actione verſetur, & practica ſit, ſive in contemplatione) adaptare; quo modo Galenus quoque nomine methodi interdum utitur: Ita quod omnis ſcientia, in qua legitima certaq́; via ſervatur, notitia ex cauſis oritur. Cęterùm, non levem parit difficultatem illa nominum diverſitas, cùm inquit principia, aut cauſæ, aut elementa: multoq́; majorem conjunctio; aut, quòd incertum ſit an ea dictiones disjungat ac ſeparet, (multæ nanq; ſcientiæ non uno tantùm cauſarum genere utuntur, ut Averroës etiam in hujus loci enarratione docet) an non eſt deniq;, quòd hæſites, quia locus carere æquivocatione non videtur: aliter enim

enim nominibus in majori propoſitione, quàm in ejuſdem confirmatione uſus fuiſſe putatur. Quidam hìc crediderunt, ea nomina confundi, quòd Ariſtoteles altero alterius loco uti ſit ſolitus: quomodo ſexto primę Philoſophiæ, principia in Mathematica, & cauſas, vocavit elementa: & quinto ejuſdem elemētum multis accommodari, capite proprio docuit: nec non libro poſteriorum primas propoſitiones rationem elementi obtinere dixit. Sic ſexcentis in locis cauſam pro principio, & cōtrà accipit. Verùm Alexander, quem ſequitur Averroës, ea diſtinxit, & principium pro cauſa efficiente in ſpeculativis capi ait, atque in practicis obtinere rationem finis; ut Philoſophus quoque ſecundo Phyſic. docet. Cauſam verò, ſi ejus dignitatem ſpectes, fini: ſi verò id per quod res eſt, formę: ſi deniq; nomen cōmune denotet, omnibus cauſis competere inquit. Elementum autē propriè materiæ convenit, ut Averroës quoq; author eſt, quarto de cœlo. Dicitur & forma elementū, prout eſt rei pars: ſed quòd non ſemper permanet, elementi rationem propriè, ac verè, & primò non ſubit. Quare antiqui materiam, verè principium appellabant, (quippe qui formas ſubſtātiales adhuc ignòrabant) quòd tota rei ſubſtantia inde penderet: ac propterea Ariſtoteles primo Phyſicorum inquit, ab

illis

illis vocata principio, omnem nanq; causam hoc nomine nuncupabant. Quapropter ex sententia Alex. non est dicendum, hęc eadem esse, indifferenterq; omnib. causis competere: atq; Aristotelē ea nunc confundere, satisq; esse, si alibi ea distinxerit. Quomodo Philosophiam à Mathematica separat, quamvis sexto primæ Philosophiæ Mathematicam Philosophiam vocet: Sic libro nono ejusdem, potentiam Mathematicis tribuit; quam tamen alibi Philosophię naturali propriā esse dixit. Quinetiam artem ac scientiam longo inter se intervallo dissidere sexto Ethicorum tradidit: & tamen sexcentis aliis locis eas nullo discrimine confundit. Non est itaq; putandum, hæc nomina confundi, quasi ita iis utatur Aristoteles: sed satis est illorum proprietatem distinxisse. Porrò Galenus partes similares elemēta appellat, quòd nimirum sensus judicio ea sint elementa. Cæterùm nomen elementi, ut refert Joannes Grammaticus ex authoritate Theophrasti, Plato primùm principiis imposuit, eiq; Galenus astipulatur. Quòd si quis quęrat, quare ea cum cōjunctione disjungente protulerit, ejus rei rationem ab Alexandro petat, qui eam nominum multitudinem ad sciētias, quæ certas causas recipiunt, refert. Mathematicus nanq; qui sua quæsita à materia sensibili, quæ verè nuncupatur elementū,
abstra-

abſtrahit, omnia ad definitionem reducit. Verùm naturalis ſua, ad principia, & elementa, (quia ad materiam principiumq́ue naturale, unde omnis motus oritur) defert. Primus verò Philoſophus, quamvis omnes cauſas in univerſum conſiderat: tamen finem & formam, quæ unam rationem videntur obtinere, ac motorem primum potiſſimùm ſpectat. Nec profectò in tanto exordio nomina diſtinxiſſe ſatis fuiſſet, niſi per ea ſcientias ſeparare in animo fuiſſet. Quod quia Themiſtius non animadvertit, ne hæc quidem ſejunxit. Omnis ergo ſcientia, quæ rectè tractatur, primas ſuas cognoſcit cauſas, è quibus ſuam concluſionem cogit: quare Mathematicus à puncti, lineæ, & circuli definitione: naturalis, à materiæ: & primus Philoſophus, ab ultimo fine, prima forma, primoq; agente ſuam ſcientiam orditur, unde ſuam quoq; depromit dignitatem. Quandoquidem primus Philoſophus duo, nempe entia & principia entis cõſiderat: velut Averroës, idipſum ab Alexandro mutuatus duodecimo primæ Philoſophiæ teſtatur. Quibus ſic conſtitutis, quare Philoſophus in ipſo ſtatim phyſicæ tractationis veſtibulo ea nomina diſtinxerit ex Alexandri ſententia; quodq́ue omnis ſcientia, nedum naturalis tantum, à primis cauſis, primisq; principiis, ſuã auſpicatur cognitionem,

nem jam liquidò conſtat: nec ſatis eſſe, ut ideo hic dictiones eas indiſtinctè proponi, quod alibi diremerit, diſtinxeritq;, aſſeveremus. Atque hæc in Alexandri gratiam allata ſunt, ne aliquid in Philoſopho ſupervacaneum aut varium eſſe, admittere cogamur. Cæterùm, ſi de noſtro quoq; agello, poſt tot tantasq; vigilias aliquid adferre licet: (non quidem, ut Alexandri expoſitioni, qua huic loco haud facilè accommodatiorem reperias, detrahamus, vel quicquam tanquam auctarium adjiciamus; verùm ut res planior evadat, & philoſophiæ candidatis gratificemur) putarẽ, quòd hoc libro tria principia ponat, quæ non ſunt verè cauſæ, (non enim privatio eſt cauſa, niſi per accidens) nec vera elementa, quia ſi materiam excipias, non ſunt rei, niſi prout gignitur, partes. Iccirco hac nominum multitudine uſum fuiſſe, ut ſignificet, ab iis quomodocunque vocentur, vel cauſa, vel principia, aut elementa (antiqui nanque hi illo, alii hoc nomine ea nuncupabant) jam eſſe ordiendum: quòd ſint rerum naturalium, ut fiunt principia. Nec in ratione latet æquivocatio: nam non ob id, quòd in confirmatione aliter utatur nomine elementi & cauſę, ſyllogiſmus dicendus eſt eſſe æquivocus. Porrò maximã hanc propoſitionem, ſola cõmuni hominum opinione perſuadet, ea nanq; evidentis ratio-

nis ſatis efficax eſt cõfirmatio. Subdit deinde:

Tunc enim putamus cognoſcere unumquodq;, cùm cauſas primas cognoverimus.] Per cauſas primas, intelligo proprias. (Siquidem octavo Phyſicorum, & alibi ſæpius, primum accipit loco proprii) hoc ſenſu: tunc opinamur cognoſcere, cùm cauſas proprias, & principia prima, hoc eſt proxima, uſque ad elementa, quod eſt ſummas cauſas, cognoverimus. Nam per elementa ſummas cauſas, ex quibus res fiunt & ſunt, ſignificat. Sic enim quinto primæ philoſophiæ cap. de elemẽto, ait elementa eſſe ipſa rei indiviſibilia, ex quibus componitur: ut vocis elementa ſunt literæ, in quas Grammaticus eam diſſolvit. Inquit ergo, tunc arbitrari nos verè ſcire, cùm pervenerimus uſque ad elementa, ipſa ſcilicet rei indiviſibilia, ex quibus coagmentatur. Atque hæc probatio non ſolùm è cauſis naſci ſcientiam, ut primo poſteriorum analyticorum traditur, docet; verùm etiam ordinem cauſarum, quo ad ſummam pervenire poſſimus, cõmonſtrat. Quomodo ſuam quoq; tractationem primo libro inſtituit, nanq; ex privatione & forma, principiis ſibi mutuo ſuccedentibus, ac ex ſimilitudine cum iis quæ arte fiunt, materiæ naturam inquirit. Alii hanc confirmationem longè cõtrà interpretantur, & per elementa, cauſas rei quæ fit, proximas intelligunt. Porrò

via componente videtur resolvens, qua primas causas indagamus in cognitione potior, magisq́; artificialis. Tunc enim opinamur cognoscere, cùm summam causam qua res est, & è qua perfecta primaq́; cognitio paratur, perceptam cognitamq́; habuerimus.

Manifestum est.] Locum hunc sic intelligendum esse arbitror, quòd concludat, quàm difficilis sit hujus scientiæ, quæ est de rerum natura, tractatio: ob id scilicet, quòd difficilis occultaq́; sit primorum principiorū notitia, quia simplicia sunt, atq; procul à sensibus nostris seposita. Inquit autem primùm determinare tentandum est, quasi dicat, oportere primùm invenire, unde principiorum cognitio petenda sit. Continet autem hoc scopum ordinemq́; tractationis, ex quibus oportet principiorum notitiam venari, in ea scilicet scientia, in qua ratiocinãdo, ac ut sic dicam discurrendo, progredimur: de hac nanq;, non de ea quæ sensu acquiritur, loquitur Philosophus: veluti suprà quoque admonuimus. Porrò in hac ratiocinante notitia, quod primùm cognoscendum occurrit, est ipsum confusum; quod quidē duplex est, nam universale, quod partes continet in potentia, cum ordine tamen, & de quo agit in libris posteriorum Analyticorum, confusum appellatur. Alterum est confusum, cujus certitudinem partiū non habe-

habemus: atq; hoc disjunctum solent nominare. De hoc posteriore loquitur Aristoteles, quod etiã Græci animadverterunt, alio modo scilicet intelligi ab Aristotele universale hic: & alio modo libro posteriorũ: licèt postea de quo universali hic intelligat haud rectè senserint, hujus quidẽ adminiculo principiorum cognitionem scrutatur: hoc enim primùm nobis innotescit, & quæ ita paratur notitia, confusa est, quòd nulla ejus pars certò distinctéq; percipiatur. Tale autem est: de quolibet dicitur esse vel non esse: in prima Philosophia hoc nanq; principiũ cognitione quadam primùm nobis occurrẽte præhenditur: estq; ceu Januæ locus in ædibus, quem nemo ignorare potest. A quo Aristot. quoq; tanquam statim cuilibet obvio disputationẽ auspicatur, disjũcta oratione usus ceu cõfusa, ac primùm nota. Disjunctã autẽ orationẽ, quę oppositis cõstat, cujusmodi est, unum aut multa, finitũ vel infinitũ, mobile aut immobile, similẽ esse illi, de quolibet dicitur esse, vel nõ esse, neminẽ latere arbitror. Atq; hæc sunt, quæ circa principia primũ sunt determinanda. Subjungit deinde:

Innata est autem nobis via.] Quasi dicat: Via inquirendi est ab universalibus quæstionibus ad minus universales, & cùm quæstio, an principia sint unum vel plura, sit magis universalis, utpote quę pauciora pręsupponat, iccirco

à magis univerſalibus via inquirente, proficiſcendum eſt; id eſt, à quæſtionibus magis univerſalibus, quæ conſtant terminis magis notis, in naturali ſcientia, quemadmodum latiùs primo primæ Philoſophiæ, ubi de noſtræ cognitionis ortu diſputavimus, explicuimus. Ab ipſa ergo natura hoc nobis inſitum eſt, ut ex notioribus nobis indagemus ea quæ nobis ſunt incognita, quæ Ariſtoteles dixit eſſe manifeſtiora naturæ, & ſimpliciter. Simpliciter nota, ſunt ſimplicia, quæ non tantùm nobis fiunt nota, ſed dicũtur naturæ manifeſta, quia ſua natura percipiuntur, neq; alterius cauſæ auxilio indigent. Quòd ſi ea nequimus apprehendere, id noſtræ imbecillitati ac defectui, non autem illorum cõpoſitioni & ambiguitati eſt tribuendum. Ita materia prima quamvis à nobis ſyllogiſmo notho noſcatur, ac ſimilitudine; tamen ſimpliciter eſt nota, quoniam ſimplex eſt, nec alio tanquam principio innoteſcit. Verùm quia eſt in potentia, ejus cognoſcendæ difficultas non tantùm ex nobis, verùm è ſua quoq; natura oritur: licèt ut principium ſit naturæ nota; quia ſimplex. Nihil igitur abſurdi committimus, cùm dicimus eam eſſe notam & ignotam, eſt enim nota, quatenus eſt ſimplex: ſed eſt ignota, prout eſt in potentia, & alterius ope cognoſcitur. Itaq; prima principia ſunt nota naturæ, quia

ſunt ſimplicia: & disjunctum, quod eſt confuſum & univerſale, primum nobis cognoſcitur, quòd ejus partes indiſtinctè innoteſcant, atq; ita univerſale, quoniam multa ſub ſe confusè complectitur. Neq; eſt incommodum, aut ab Ariſtotele alienum dicere, primum cognitum eſſe aliquod disjunctum; innata igitur eſt nobis via ex notis nobis, ad ea quæ naturæ nota ſunt. Non ſunt autem naturæ nota, ut quidam exiſtimant, quòd natura ea primùm cognoſceret, ſi aliquid cognoſceret: ſed quia ſua natura ſunt ſimplicia. Porrò hanc eſſe cognoſcendi viam confirmat, ubi ait, non enim ſunt eadem & nobis nota, & ſimpliciter, quoniam auſpicaremur à nobis ſimul & ſimpliciter. Nec dixit, nulla eadem: quoniam fortaſſis aliqua ſunt, quæ eadem ſunt nobis nota, & naturæ, ut in mathematicis. Imò, ut Averroi placet, multa quoq; in natura eadem ſunt nota nobis, & ſimpliciter. Verùm illi hac in re non eſt adhibenda fides, ut multis in locis demonſtravimus. Cæterùm quænam ſint illa, quæ nobis primùm percipiuntur, Ariſtoteles docet, cùm ait: Sunt autem primùm nobis dilucida ac manifeſta confuſa magis, notitia ſcilicet diſcurſiva, & qua principia naturalia inveſtigamus, & diſtinctam quærimus cognitionem. Sunt autem confuſa magis, quæ ſunt magis univerſalia, & per disjunctionem

efferuntur. Unde circa principia primùm cognoſcitur, ea eſſe unum vel non unum, idq́ue ab intellectu. Is enim ſolus rationes diverſas comprehendens, (quod ſenſus, qui in particularibus occupatur, nequit) judicat entia multa eſſe. Eapropter Ariſtoteles infrà inquit, ſubſtantiam ac quantitatem & qualitatem, multa eſſe, quamvis re ipſa non ſeparentur, ſed ratione. Quare cùm habet aut unum eſſe, aut non unum; non tantùm intelligit quod ab aliis ſeparatur, ſed etiam id quod ratione diſtinguitur: ex quo perſpicere potes, quantum valeat ratio Ariſtotelis, cùm inquit, ſi erunt ſubſtantia, & quale, & quantum; multa ſunt quæ ſunt, & non unum. Primum ergo quod intellectus circa principia cognoſcit, eſt ipſum unum eſſe, aut non unum. Atq; hoc eſt univerſale, de quo hìc agit Philoſophus, diverſum ab illo, quo utitur in libris poſteriorum Analyticorum: non ut Joannes Gramm. cenſet, aliiq́; autumant. Vocat enim hic univerſale, disjunctum, & confuſum, ut antea diximus, quale eſt hoc: principium unum eſſe aut non unum: quod quidem ex terminis univerſalibus coacervatur: & per diviſionem diſtinctè, quibuſdã intercedentibus rationibus comprehenditur unum eſſe, aut non unũ. Quomodo etiã Ariſtoteles docet, idq́; multis rationibus, non eſſe unũ, ac propterea addit:

Poſte-

Posterius autem ex his nota fiunt elemẽta & principia, iis qui dividunt ipsa.] Dividentibus nanq; per disjunctum, elementa evadunt manifesta: primùm quot numero: deinde quænám ea sint, nã ubi una pars disjuncti vera esse cognoscitur divisione, eaq́; ratione comprobatur, reliqua perimitur & infirmatur. Quare inquit Philosophus, iis qui dividunt confusa ex his quæ sunt circa principia, nempe unum esse aut plura, nota evadunt elementa & principia. Nec crediderim illud, & connectere eadem principia & elementa, sed diversa.

Quapropter ex universalibus.] Auderem hîc asserere, neminem interpretum horum verborum sensum attigisse, atq; ita enarrasse, ut Aristot. tractationi disputationiq; cum antiquis respondeant: idq́ue non aliam ob causam, quàm quòd integrã Alex. expositionem non intueantur: mihi verò est ad manus ejus quæstio, in qua tota hujus procœmii series explicatur. Itaque connectentur hæc cum superioribus hoc pacto, quòd cùm viam investigandi principia ex his disjunctis, puta unum esse aut plura, nobis indicasset: nunc ordinem, quo his disjunctis uti debeamus, commonstrat, inquiens, propterea incipiendum est à disjuncto magis universali, eo videlicet, quod partibus magis notis constat. Atqui inter omnia disjuncta, nullũ est quod priùs no-

bis ſe offerat quàm hoc, unum aut multa: eſt enim magis immediatum enti, atque primò notum, & quamvis poſuerit tres diviſiones, quò complecteretur omnes autiquorum opiniones, cùm ſint circa principia: ſi quis tamen ad res conferet, prima erit, eſſe unum ens, aut plura. Sic quod ad noſtram cognitionem ſpectat, priùs ſe offert unum eſſe aut plura, quàm alia; & iccirco inde etiam orditur, & ita numerum naturamq; principiorum indagat. Inquit ergò, quapropter ab univerſalibus ad ſingularia procedere oportet, hoc eſt, proficiſcendum eſt à confuſis magis univerſalibus ad minus univerſale confuſum, (id enim per ſingulare intelligit) tale autem eſt, an ſubſtantia una, vel plures, ſiquidem hoc minus univerſale eſt, quàm unum aut multa. Dixit autem in plurali ex univerſalibus, non ut tres illas diviſiones cõprehenderet, nempe unum aut plura, finitum vel infinitum, & mobile, vel immobile: nam hæ tres omnem, ut diximus, antiquiorum opinionem de principiis continent ratione communi: ſed ut omnes ſcientias complecteretur, inquit, quòd primùm per univerſalia, & quæſtionibus univerſalibus principiorum cognitionem aggredi debemus in omnibus ſcientiis. Atque id ſimilitudine ſumpta à toto comprobat, ad majorem rei perſpicuitatem: nam quemadmodum
dum

dum totum antè ſenſu percipitur quàm partes; ita intellectus prius magis univerſale apprehendit quam minùs univerſale, quod eſt disjunctum, quod terminis minus univerſalibus coagmentatur. prius nanq; innoteſcit, eſſe unum aut plura, quàm eſſe unam ſubſtantiam.

Univerſale autem totum quoddam eſt.] Non dixit univerſale eſſe totum, quia non loquitur de univerſali, quo utimur in prædicando, ut nonnulli perperam ſunt opinati, ſed de disjuncto, quod conſtat ex terminis magis univerſalibus, complectente plura, quàm disjuncta inferiora, quod eſt veluti totum, continens in ſe plura ceu partes, quia continet illa quemadmodum totum ſuas partes. Dixit autem univerſale disjunctum eſſe quoddam totum, quia revera totùm non eſt, ſed veluti totum, duobus terminis conſtans, qui quò ſunt magis univerſales, eò plura comprehendit. Quare ſenſus hinc ejuſmodi colligi poteſt, quòd cùm nobis innata ſit via, ex nobis notis quæ ſunt confuſa, & disjuncta, ad ea quę ſunt nota ſimpliciter: operæprecium eſt, ut in iis disjunctis ordo ſervetur, ut primùm capiamus disjunctum magis univerſale, ac per diviſionem pars vera dignoſcatur, eaque denuò diviſione cognoſcatur, donec ad certam principiorum cognitionẽ pervenerimus: & pro-

propterea ait, dividentibus fit manifesta, & certa cognitio, usq; ad principia. Atq; hic est ordo, quem cum antiquis disputans observat. Philoponus, & qui eum insequuntur, cõfundunt terminos universales cũ toto disjuncto, verùm si diligẽtius animadvertissent, qua industria Philosophus usus fuerit, dicens confusum & non compositum profectò rei veritatem agnovissent. Neq; prodest profugisse, ut quidam facit ad mẽdum tanquã pro συγκείμενον, quod est cõpositum, suffectum sit librarii vitio συγκεχυμένον, quod est confusum: cùm id, ut diximus de industria ita fuerit prolatum. Sunt præterea plurimæ aliȩ recentiorum interpretationes, quas ego omnes studiosis, non secus quàm pestem fugiendas esse censeo, quòd hominem in eum gurgitem præcipitent, unde postea nequit emergere, ut interim taceam Joannem Grammaticum, qui sibi contradicit: ob id ni fallor, quòd ipse, non secus quàm Simplicius, Alexandri explicationem insequi vereatur: nam si, ubi ex Alexandri sententia dixerunt, universales magis quæstiones proponendas esse, per universalem quæstionem intellexissent disjunctum terminis magis universalibus constans, quod ab Aristotele sub problematis forma, sed ordine magis universali perquiritur: rectè utiq; dixissent: id enim habet rationem totius, & etiam ordinem

nem in sua tractatione, dum cum antiquis disputat, insequitur, siquidem problema magis universale proponit. Quinetiam numerum principiorum tradens primùm utitur terminis omni motui generationiq; communibus, nempe privatione ac forma: (nam primus terminus, quem vocat privationem, tam motui habenti contrariũ privans, quàm quòd revera tale est, competit) atq; ex iis materiæ primæ, quæ ad sui cognitionem, cùm sit imperfecta, exigit syllogismum spurium, ut suprà quoq; monuimus: ac propterea eam tam Aristoteles quàm Plato, ut notat Simplicius, similitudine eorum quæ arte fiunt, patefacit.

Patiuntur autem hoc idem quodammodo.] Variè hunc locum interpretes enarrant, mihiq; videntur ea quæ ab Aristotele penitus abhorrent, adferre. Verùm ego, ni fallor, planiorem vrioremq; sententiã propono, nẽpe, quòd cùm per similitudinem à sensu depromptam, nostram cognitionem ex cõfusis magis oriri docuisset: cumq; intellectus nostri motus duplex sit, ut monet primo de anima, nẽpe, definitio, & demonstratio: idipsum nunc per definitionẽ demõstrare nititur: nam ꝙ primùm nobis in definitione se offert, est definiti nomen, ꝙ partes definitionis in se in cõfuso cõplectitur. Prȩterea, inquit hoc idem, nomina, quæ scilicet significant definitum, patiuntur

ad

ad definitionem, quæ definiti partes distinctè exprimit atq; explicat. Dixit autem quodammodo, quoniam definitio habet actu partes, quæ in nomine definito continentur in confuso: nam cùm animal audimus, in confuso substantiam animatam cognoscimus: sic cùm circulus dicitur, linea una superficie contenta intelligitur. Atq; hæc definitio quid nominis vocari solet, quæ indistinctè scilicet id significat, quod definitio, quid rei in scholis nostris appellata, in partes distinguit. Ad hæc, hanc viam à confusis in cógnoscendo progredientem, exemplo à pueris desumpto confirmat, quòd eam ipsam nobis à natura quoque insitam esse confirmat. Nam antequam puerorum cerebrum à supervacua ac nimia humiditate exoneretur, ipsi omnes viros patres, & omnes fœminas matres nominant: At ubi intellectus eorũ vegetior factus fuerit, nempe ubi imaginatio, superfluo à calore naturali exiccante humore absumpto, expurgata fuerit, discernunt, distinguuntq;. Hæc igitur distinctio ab imaginationis sensusque repurgatione oritur, ubi scilicet superfluũ humorem, ob quem tum puerorum, tum pumilionum capita onerantur, ut ea vix possint attollere, deposuerint. Atq; duo hæc exempla nõ ad eandé declarationem Aristoteles induxit, sed ut hujus primæ quæstionis duo declararet.

ret. Primo ſiquidem exemplo explicat totum ipſum habere partes,& quòd prius cognoſcatur quàm ſuæ partes, atq; quòd prima quæſtio concludat duo oppoſita tanquam partes. Altero verò exemplo declarat, modum cognoſcendi primùm eſſe ab iſto cõfuſo, & poſtmodum partes ordine atq; diſtinctè perquirere; ut ſignificet primùm res intelligi ſub confuſa cognitione, poſtmodũ diſtinctè partem ipſius veram per rationes perquiri debere.

Atq; hæc mihi quidem, cui una Alexandri interpretatio ſatisfacit, aliorum ineptiis, quas ne majorem parerẽ huic loco obſcuritatem, confutare nolui, rejectis, ad horũ verborum explicationem ſatis eſſe videntur. Cæterùm, cùm multi ſint libri Ariſtotelis, præter eum qui de rerum natura pertractet, auſcultatorii & Acroamatici; non erit fortaſſe ab re, neq; inutile, expendiſſe, quare hic de auſcultatione naturali inſcriptus fuerit, perinde ac ſi ſolus eſſet acroamaticus. Verùm antea paucis explicemus quid ſibi velit hoc nomen ἀκροαματικός. Scire itaq; licet, duo eſſe hominum, qui ſe diſciplinis dedũt, genera. Unum, quod omnium artium ac ſcientiarum benè quandam eruditionem, quam Ariſtoteles primo de partibus animalium παιδείαν appellat, perſequitur, huic ſatis eſt, rerum multarum notitia, earumque concluſiones, ac quaſdam

uni-

universaliores causas citra ordinem novisse, veluti primo libro Ethicorũ, & secundo primæ Philosophiæ, aliàs latius disputavimus. In hujus gratiam ii à Philosopho scripti fuerunt libri, quos ἐξωτερικοὺς nominant, quiq; conclusiones haudquaquam in primas causas dissolvunt. Cujusmodi sunt problemata, ac quædam moralia. Alterum genus hominum est, quod primas rerum causas investigat, easque ἐπιστημονικῶς ac scientificè cognoscere desiderat, His conscripti fuerunt libri ἀκροαματικοὶ, qui conclusionũ primas causas dissolvendo proponunt, & ordinem servant, ejusmodi omnes sunt, ut Joanni quoq; Gram. visum fuit, qui ab ipso Philosopho in proœmio Meteor. enumerantur. Porrò liber hic, quòd naturã, naturaliaq; principia indaget, quę cognitu sunt longè omnium difficillima: iccirco, ni fallor, id nominis sibi retinuit, ut de naturali auscultatione inscribi mereretur: quòd in eo tota Philosophia potẽtia, ut loqui solemus, includatur: Nec secundus à primo distrahi debet, ut Græcis placet, quasi in primo de materia potius quàm de aliis principiis, atq; in secundo de efficiente, vel de forma, magis quàm de aliis pertractetur: nam uterq; eadem proponit, licet diversa explicandi ratione, ut antea diximus, & in primo materiam, in secundo verò formam, quæ cum efficiente

simi-

ſimilitudinem obtinet, inveſtigat. Atq; id etjam ſenſit Averroës ſecundo phyſicorum, cùm dixit, principia naturalia & naturam eſſe ſubjectum, hoc eſt, ea potiſſimùm hic conſiderari: nam reliqui motum, atque ea quæ motui adhærent, explicant.

Porrò duo adhuc fortaſſis hìc examinanda reſtant, nempe, quodnám ſit totius Philoſophiæ ſubjectum; deinde quid ſit. Illud quod primùm ſe nobis cognoſcẽdum offert, quod primum cognitum, & cognitionem occurſoriam noſtri paſſim vocant, ſitné illud univerſale, an particulare? Verùm quia ipſemet Ariſtoteles ſubjectum in primo de cœlo proponit, atq; id eſſe videtur, quicquid in corpus coaluit, univerſum ſcilicet corporeum ejusq́ue partes, propterea ad eum locũ, tanquam ei quæſtioni proprium rejiciatur. Alterum autem, ex iis quoq; quæ jam in enarratione procœmii docuimus, patere ſatis puto: nempe confuſum nobis primum occurrere: nec per confuſum aliquod in notitia occurrente unum, eſt audiendum: ſed quæſtio magis univerſalis ex ſententia Alexandri, quod eſt disjunctum magis univerſale, terminis ſcilicet magis univerſalibus conſtans: id enim nobis primò inquirendum ſe offert.

Cæterùm inſtabis, ſi confuſum magis univerſale eſt, id quod primò eſt inquirendum, pri-

prima Philosophia esset quoad nos prima, quoniam quęrere, an ens sit unũ vel multa, ad primum spectat Philosophũ: sed dico, nomina illa communia, tanquã universalia ac communia primùm nobis innotescere, sed ea distingui à prima Philosophia: quòd sit scientia, quæ communia pertractet: non tamen ob id ipsa est nobis primùm nota, nam cognoscenda sunt illa, ob quæ nuncupantur μετὰ τὰ φυσικὰ, quæ non nisi rebus naturalibus cognitis percipiuntur. Quòd si planius explicari cupis, quid sit quod in notitia vocata occursoria, primùm se offert: quamvis id ad hoc negotiũ minimè pertineat, quod Philosophus ea investiget, quæ primùm quæri debent: tamen ut hac quoq; in parte tibi satisfiat, ajo id quod primùm in notitia ea sit obvium, esse cõcretum accidentale, quemadmodum, meo quidem judicio, ut ad neotericos descendamus, Hervæus rectius quàm cæteri, animadvertit: id enim primùm à sensibus intellectus recipit. Sed ut varium est intervallum magis minusq; distans: ita varium quoq; est objectum, quod primùm ab intellectu cognoscitur: nõ tamen potest excedere rationem concreti accidentalis. Erit enim album quodpiam, aut nigrũ, vel alio colore infectum, quod eminus à visu, (utpote qui solus remota percipit,) apprehenditur: nam sub ratione alte-

rius

rius qualitatis, puta ut calidum, vel frigidum, vel gustabile, quæ reliqui sensus magis corporei sentiunt, non potest in distantia aliqua notatu digna percipi.

Solet præterea ab interpretibus hoc etjam loco quæri de regressu, ut utar illorum verbo, quod ab Averroë mutantur, quam Aristoteles demonstrationem circularẽ primo posteriorum Analyticorum appellat. Quę quæstio, etsi nihil ad naturalem contemplationem spectare videtur: tamen ut nihil desiderare possis, duo in ea examinabimus: unum, an Peripatetici ejusmodi regressum admittant: alterum, quid utilitatis afferat. Scire ergo licet, duplicem proponi à latinis cognoscendi viam, primam à posterioribus ad causas quam inventivam dicunt, quod Aristoteles dixit, primo primæ Philosophiæ, à subjectis ad causas: alteram à causis ad subjecta, quam scientificam appellant, & judicialem: illa, à subjectis inquam & effectibus ad causas proficiscitur, Philosophus in secundo naturalis auscultationis, cùm inquit: Quædam sunt à natura, quædam propter alias causas. Dico igitur ad id quod primo loco quæritur, an ejusmodi demonstratio circularis apud Peripateticos conceditur, eam admittendam esse, in diversis quidem demonstrationibus, quæ per se procedunt; puta in de-

monſtratione quæ fit ex forma ad materiam, quæ per ſe cauſæ ſunt, ac medio carent. Verùm controverſum eſt, ut ſexto Phyſi. notat Averroës, an in eadem demonſtratione locum habeat, nempe an à cauſa ad effectum, & ab effectu ad cauſam progredi liceat. Cui reſpondemus, principia non eſſe primùm nota nobis, ſed ipſa ex iis quæ cognita ſunt nobis inveſtigamus: atque hæc demonſtratio docet cauſam, & eam eſſe hujus, verbi gratia, rei cauſam. Conditio porrò illa, quam habet Ariſtoteles primo Poſteriorum Analyt. capite, de ipſo ſcire quæ eſt, quòd impoſſibile ſit aliter ſe habere: exquiſitè intelligi nequit, niſi à cauſis ad effectum, & cōtrà ab effectu ad cauſam regrediamur, ut diſcamus principia cum ſuis effectibus commeare ac regredi. Quod ubi cognoverimus, tunc nobis conſtat, fieri nō poſſe ut hic effectus aliam habeat cauſam: dicimusq́; eam eſſe cauſam hujus effectus, & impoſſibile eſſe ut aliter ſe habeat. Quibus ſic conſtitutis, communi cuidam, eorum qui Metaphyſici nuncupantur, argumento, cùm ajunt: ſi ex primo progreſſu id nanciſcimur, quòd ſciamus hujus hanc eſſe cauſam: nihil prodeſſe demonſtrationem à cauſa ad effectum, quippe quòd prior demōſtratio id docuerit. Huic inquam, reſpondere licet, quòd ex utroq; regreſſu hoc accedit cōmodi, quòd

ſciamus, ea inter ſe commeare, fieriq́ue non poſſe ut hujus effectus alia ſit cauſa, præter eã. Verùm non eſt ignorandum, quòd ut Themiſtius docet, & res ipſa loquitur, progreſſus à notis nobis ad nota naturæ, non dicitur demonſtratio ſimpliciter, ſed ſimul duo problemata dirimit: ac propterea inquit Themiſtius primo poſteriorum Analyticorũ, quòd demonſtratio ſimpliciter non accommodat ſe ad ingenii noſtri captum. Quare ea in re Averroës haudquaquam mihi rectè ſentire videtur. Sed de his hactenus. Reliquum eſt, ut ad id quod nobis propoſitum fuit, accedamus, & cujus gratia hæc præfati ſumus: Nempe ut principia rerum quæ ſint, excutiamus: ac ſi quid circa ea dubium obſcurúmve occurrit, diluamus, explanemusq́ue. Quod ut commodius fiat, à materia ipſa exordiemur, quæ prima Philoſopho nominatur.

De materia prima.

CAPUT II.

PRincipium ac ſeminarium, ex quo omnia quæ moventur, & infra cœlum ſunt, conſtant, quodq́ue fons & origo eſt motus, Philoſophi materiam dixerũt, & ſubjectum, ex quo cùm inſit, ſubſtãtia per ſe oritur. Hanc materiam ii, qui Ariſtotele ætate fuere ſupe-

riores, ex rebus quæ natura conſtant, ſolam eſſe ſubſtantiam rati, omnem ſpeciem ac formam qualitatem nuncupabant. De hoc itaque principio, quod materiam primam appellant, conſilium eſt in hac noſtra diſputatione, inquirere, primùm, num ſua natura ſit ſubſtantia ἐνέργεια; & quamvis ſubjiciatur formæ, non tamen inde mutuetur quod ſit ſubſtantia. Deinde, quam unitatem habeat per ſe, ac natura ſua, quæ à forma non proficiſcatur. Denique, quomodo ſit æterna, neq; unquam defectura, cùm interim cauſa ſit, quare cætera cuncta ſint interitui mutationiq́ue obnoxia. His nanque explicatis, omnis propemodum ambiguitas, quæ de materia proponitur, è medio tolletur. Ac primùm inveſtigabimus, num ſit certa aliqua natura, quæ communi vocabulo ſubſtantia eſſentiaq́ue nominatur. Ejuſmodi ſanè eſſe quampiam Ariſtoteles nulla certiori ratione demonſtrari, ſeptimo primæ philoſophiæ contendit, quàm eo quòd inter cætera ſubſtantiæ proprium eſt, nempe ſubjici contrariis, iisq; per vices efformari, quippe ſi ejus natura eſſet qualitas, vel dimenſio, multa ſequerentur abſurda: nam primùm, ut Philoſophus dicere conſuevit, paſſiones à ſubſtantiis ſepararentur: vel in principiis in immenſum progrederemur, neque eſſet primum aliquod,
quod

quod omnium esset quasi fundamentum: nanq; una qualitas alteri non inest, nec una alteri substernitur. Nanque Aristot. 4. Metaph. dixit, accidens accidenti non inesse: sed cùm qualitates unum subjectum sortiantur, illi inhærent, illudq́; informant. Adhæc, substantiæ ac corpora sensilia materia ceu parte constant: parsq́ue essentiæ, essentia substantiaq́ue est: non enim coalescit substantia ex iis, quę substantiæ naturam non sapiunt. Sunt enim habentq́; suam essentiam composita ex iis, quibus constant. Materiæ porrò natura simplex est, quæ omnibus quæ natura sunt, ac fiunt, subjicitur; cùm ipsa interim nihil habeat, quod sibi substernatur, atque id quod res, cùm abolentur, abeunt; cumq́; gignuntur, inde tanquam à primo subjecto exoriuntur. Est autem ipsa naturalibus mutationibus apprimè necessaria: nam nisi ut primum subjectum mutationibus subjiceretur, nullus esset rerum aut ortus, aut interitus. Est enim omnium Philosophorum consensu confirmata sententia, quòd subjecto nullo præsupposito, res nec orirentur, nec occiderent. Itaque cùm materia sit substantia, quæ necessariò præexistit, ac mutationibus speciebusq́; subjicitur, quæ per se causa est, ac compositæ substantiæ per se pars, in dubium venit materiæ natura & essentia, an scilicet inter entia

ſit numeranda, ipſaq; ſit ἐνέργεια, quod eſt actu? hoc eſt, an materiæ natura ſit actu, nec ut ſit, mutuetur à forma, ſed habeat hoc per ſe & ſua natura. Verùm hic nodus facilius diſſolvetur, ubi priùs quid per materiam intelligimus, explicuerimus.

Quid ſignificet materia & ſubjectum.

CAP. III.

MAteria, & ſubjectum, cùm non ſint vulgi, ſed Philoſophorum peculiaria nomina, operæprecium eſt intelligere, quo ſenſu apud Peripateticos in uſu ſint. Rerum quæ ſenſuum judicium effugiunt, & ratione cognoſcuntur, naturam, haud aliter melius ac exquiſitius comprehẽdimus, quàm eorum, quæ ſub ſenſum cadunt abnegatione. Hac ſanè via Ariſtoteles cœli ſubſtantiam nec gravem eſſe, nec levem, neque oriri aut interire: ad hæc neque incaleſcere, aut aliquam perturbationem eam, qua quæ ſub cœlo ſunt, & materia compacta, afficiuntur, perpeti cognovit. Quinetiam eadem fermè methodo ſubſtantias à materia ſejunctas, Deum inquam ac intelligentias non moveri, ſed impartibiles æternaſque eſſe intellexit. Simili quoque philoſophandi ratione ac via, materiæ notitiam indagavit; proportione ſcili-

cet

cet ac ſimilitudine earum rerum quæ arte fiunt, & omnium ſpecierum negatione. Siquidem ſimilitudo explicat, quomodo ea ſe habet ad rerum mutationes: videlicet ut lignum ad artis formas. Negatio verò ejus naturam exprimit, nempe, quòd nullam propriam formam poſſideat, ſed omnes aliquandiu in ea quaſi hoſpitentur, & peregrinas quaſque ſuo gremio excipiat. Sua nanque natura omnium capax eſt, nec illa peculiari propriáve forma circumſcribitur. Quin etiam ſimilitudo opus ejus quod in rerum natura exercet, declarat: negatio verò naturam ac ſubſtantiam ejus, quæ è regione formæ opponitur, aperit. Hinc fit, ut tribus modis ab intellectu apprehendatur: primùm, ſimilitudine ipſam omnibus mutationibus priorem eſſe, eſſéque ſubſtantiam, quæ innumeris formis ac ſibi mutuò oppoſitis, quarum hæc illam deſtruit, ſubſternatur. Deinde, ut formæ, à qua perfectionem, finem, ac complementum nanciſcitur, ſubeſt, & ut eſt compoſiti pars, atq; ab aliis materiæ portionibus ſecernitur. Poſtremò, ut caret certa forma, neque ab ulla determinatur: & hac ratione in rebus non reperitur, ſed tantùm mente cõcipitur, diciturq; ita una omnium formarum negatione, & ut noſtri loquuntur, una privativè. Materia igitur, ut nunquã à forma ſejungitur, nec à potentia

alteram recipiendi, ut ſubjecta formæ, ſubjecti nomen ſortitur: ut verò alia quapiam forma privatur, quàm recipere potens eſt, materia Philoſophis nominatur. Hinc itaq; diſcere licet, qua ratione ſubjectum, & qua materia nuncupatur.

Nolim tamen te ignorare, Ariſtotelem optimo conſilio ipſam potiùs dixiſſe eſſe ſubjectum, ex quo res fit, quàm ex quo exiſtit: ſiquidem per formam res eſſe videtur; at per materiam gignitur ac fit, perpetuiſque agitatur mutationibus, & oritur ac interit. Adhæc, ut ſuprà quoque monuimus, in primo auſcultationis libro Ariſtoteles tractat de rebus naturalibus, ut ex his principiis fiunt,& non ut ſunt. Verùm his dictis haud levis ſe ingerit difficultas, quòd cùm materiam vocemus ſubjectum,quia formæ ſubditur,cùmque corporibus naturalibus ſubjecti nomen adaptemus, dum ea motui, qualitatibus ac dimenſionibus ſubjici dicimus; nihil inter materiam, ut formæ ſubſtantiæ ſubeſt; & corpora, ut qualitatibus & dimenſionibus ſubſternuntur, diſcriminis intercedere videtur. Cui ſic ſatisfaciendum puto, materiam primam fieri ſubjectum à forma, ſua verò natura eſſe,ut ajunt, potentia: at corpora quæ qualitates & dimenſiones recipiunt, cùm ſua natura ſubſiſtant, actumque, ut loquimur,

ha-

habeant; haudquaquam fiunt qualitatum ope, ſubſtantiæ, quin contrà potius per corpora qualitates ſubſiſtunt,& ſunt.

Quòd ſi objicias mihi, ſaltem dicitur corpus ſubjectum qualitatis, ubi advenit ea; igitur fit ſubjectum, ſimulatq; qualitas corpus informat: quia antea in potentia erat ad ſuſcipiendam qualitatem, non aliter quàm materia prius quam formam recepit, potens, aptaque nata ad recipiendum: at poſtquam recipit, jam formæ ſubjectum & fundamentum dicitur. Huic reſponderi poteſt, materiam primam eſſe in potentia eſſentiali, quoniam habet facultatem recipiendi eſſentiam ac ſubſtantiam, quæ ſpecies, ἐντελέχεια, ac materiæ eſt perfectio: at corpus naturale eſſe in potentia accidentali nuncupata dicitur, habetque eſſentiam antè quàm formatur. Quare corpus, ubi qualitas vel dimenſio acceſſit, earum fit ſubjectum propriè ac verè: Verùm materia non modò appellationem ſubjecti à forma accipit, ſed res quædam perfecta evadit. Atque iccirco nobiles Philoſophi dixerunt, & præcipuè Alexander in ſuis quæſtionibus naturalibus, cum ſubjecti ratio non conveniat materiæ, niſi formam poſſideat, quemadmodum Themiſtius quoque ſenſit formam ſubſtantiæ non eſſe in materia, veluti in ſubjecto: quoniam ita ſignificaretur, for-

mam esse in aliqua re perfecta, quæ illi subjiceretur, non secus quàm corpora perfecta substernuntur adventantibus qualitatibus: sed qualitates verè dicuntur esse in subjecto, quoniam insunt corpori perfecto, rei inquã naturali: forma autem substantiæ est in materia, perinde atque in subjecto à se facto; atque ita materia dicitur subjectum ex quo fit res, parsque rei jam factæ. Suntque materia & forma se invicem juvantes causæ, quas concausas nominamus: quòd una absque altera nec esse, nec suum opus absolvere queat. Per formam itaque substantiæ, materia fit pars compositi, & subjectum: sed sua natura est potentia, & materia. Atque hactenus nomen materiæ & subjecti sit explicatum.

An materia, cum sit omnis formæ potentia, nullamq; sibi vendicet propriam, sit substantia actu?

Cap. IIII.

PHilosophus materiam ad formã se habere dixit ut lignum ad lectum; atq; ita innuit ipsam esse in potentia ad formam: Verùmtamen substantiam esse omni forma carentem docuit in libris primæ philosophiæ, per negationem omnium eorum, quæ sunt in aliquo genere perfecto ac absoluto. Ex quibus con-

constat, cùm sit subjectum omnium, & ut jam diximus, in potentia ad omnem formam, eam esse substantiam. Cæterùm, hìc statim quæri potest, an, cùm sit substantia, primum principium, & rerum omnium per se causa, sua natura & essentia, nihil à forma mutuans, sit ἐνεργείᾳ & actu? Siquidem id non caret ratione: nam cùm à privatione longè differat, cumque non sit aliquid à mente fictum, verùm omnium rerum origo æternaque causa, prior forma, & in omni transmutatione præexistens, licèt in potẽtia sit ad perfectionem, non tamen est in potentia ad suum esse, hoc est, non est potentia ad ipsammet materiam. Quandoquidem si esset materia potentia ad hoc ut sit materia, materia non esset materia: quoniam id quod est in potentia aliquid, non est illud: veluti cum dicimus, Socratem esse in potentia, non est tunc Socrates actu. Quin & aliud incommodum id secum adfert, quòd materia esset ad seipsam in potentia: est enim necesse, ut quicquid est in potentia, materiam præsupponat, veluti primo Physicorum demonstravit Philosophus. Deniq; materia non esset, quod tamen asseruimus, simplex: nam quod fit, quodque est in potentia ut fiat, compositum esse sexcentis locis Aristoteles docuit.

Sunt non vulgares Philosophi, qui hæc co-

hære-

hærere non posse contendunt, nempe, esse in potentia ad omnē perfectionem, & sua natura esse actu: nam esse actu, aliquam perfectionem indicat. Quare cùm sit in infinitum imperfecta, & ad omnē perfectionem potentia, nullus illi (ajunt) actus sua natura competit, sed omnem à forma mutuatur. Itaque ut hæc controversia, quæ diu Aristotelis interpretes torsit, sedetur, opus est, ut materiæ naturam, & quo pacto cum forma concretum componat, expendamus. Ac primùm sumendum est id, in quo omnes Peripatetici consentiunt, nimirum materiam non esse à Deo factam. Ita enim ex nihilo esset producta. Verùm fit à Deo, quia ob cœli motionem generationes corruptionesque rerum sunt continuæ, atq; ita motu cœli perpetuo fit in actu, non tamen substantia ejus fit, sed æterna est, ut Aristoteles sub finem primi Physicorum docuit; & sua natura ad formam appetitione quadam ac impetu trahitur, ut quoad ejus natura patitur, Diis assimiletur. Est igitur Deus materiæ causa efficiens, ac finis. Finis quidem, quoniam ad formam, tanquam ad bonum atque perfectum, & per quam essentiam ac pulchritudinem nanciscitur, summa propensione ducitur: efficiens verò, quia perpetuo motu eam in continuas generationes & interitus conjicit.

Hic

Hic colligas materiam, utpote æternam, & non productam, non esse in potentia, sed actu. Est ergo semper in actu materia, atque existit. Sed cùm sit seminarium, & chaos, unde cuncta agẽtium naturalium ope in lucem prodeunt, sitq; potentia omnia, ordine caret, quẽ particularium causarum moventium impulsu, quę eam ad hanc formã potius suscipiendam, quàm illam dirigunt, postea acquirit. Cæterùm agentia ea ob cœli motum, ac potissimùm solis in circulo obliquo, à materia abscedunt, acceduntq;: quò fit, ut cùm propius accedunt, hanc formam gignant: cùm verò longius abeunt, illam & priori interdum contrariam generent. Existit itaq; materia in actu & in potentia, verùm ut ad diversa comparatur: nam ut nunquã gignitur, nunquam est in potentia, ut sit materia: sed quia semper in ejus gremio diversas formas recipiẽdi facultas reperitur, propter suam indermina-tionem, ut ait quarto de Generat. animal. Aristot. non est actu.

Atque hoc est, quod Græci interpretes significarunt, cùm dixerunt materiam ἐνεργείᾳ ὑπάρχειν, hoc est, actu existere, quòd sit ingenita, & esse suum actuale, ut ita loquar, quod sua natura obtinet, illi à forma non communicatur: quoniam ut sit ingenita, & substantia, & subjectum formæ, necesse est ipsam existe-

existere, quod idem est, ac si dicas, actu esse. Existit tamen semper cum forma, à qua nunquam neq; secundum suam essentiam, neq; secundum rationem (ut materia) separatur: nulla nanque ratio perfecta, veram materiæ naturam explicat, nisi unà cum actu intelligatur. Cæterùm cognoscere materiam, ut substantiam, imperfecta est, confusaq; cognitio, ut quæ sub nomine amplissimo apprehenditur. Et quamvis nunquam forma spolietur, semperq; sub forma subsistat, habet tamen aliud quippiam, quod forma: & si ipsa materiæ sit perfectio & ἐντελέχεια, ad quam tanquam ad suum finem propendet, illi non largitur: nam materia per se formæ subjicitur, & forma citra materiam nō subsistit, multoq; minus quod ex utraq; coagmentatur & concrescit. Sunt itaque sibi mutuò causa, forma enim per materiam substat, & materia formæ ope perficitur ac absolvitur. Et quod inde concrescit à materia, corpus & dimensiones; à forma verò actum atque perfectionem nanciscitur.

His sic explicatis, haud erit, ni fallor, difficile, nodos omnes dissolvere, nam cùm dicitur, materiam actum omnem habere à forma, id verum quidem est, hoc sensu, quòd mutuetur omnem perfectionē à forma: sed quòd semper actu sit materia, id non habet à

for-

forma, licèt ſit cum forma, nec illud eſſe, eſt perfectio certa & propria, ſed quendam exiſtendi modum denotat in omnibus ſubſtantiis, quas mens nō eſt commenta: quævé non ſunt in potentia ut ſint, quomodo dicimus Platonem antequam fiat, eſſe in potentia ut fiat: hunc actum quidam non imperitè, ut videtur, actum entis vel præſentiæ appellarunt. Omne enim ens quod præſens eſt, non autem præteritum aut futurum, hoc habet, ut de illo fieri poſſit enunciatio: ut dicunt de ſecundo adjacente & binaria. Et licèt hoc eſſe materiæ ſemper conjungatur cum forma: non tamen ab ea actum accipit.

Porrò cùm dicebamus, eam eſſe infinitæ imperfectionis, id ita intelligebamus, quòd inter ea quæ exiſtunt, nihil ſit illa imperfectius, idque ut diximus ex Ariſtotele, ob ſuam ἀοριστίαν & indeterminationem, quòd ſcilicet nulla forma propria circumſcribatur, & ob id ad aliud refertur, eſtque τῶν πρός τι; attamen ut eſt ſubſtantia, etſi imperfecta, non ſignificat habitudinem. Quare id quod latinos diu torſit, nempe quòd ut forma omnem imperfectionē ſortitur à materia, atq; omnē patiendi rationem ab eadem mutuetur: ita omnem actum materia à forma accipiat: ex iis quæ jam diximus intelligi poteſt veriſſimum eſſe, quòd materia formæ largiatur omnem

im-

imperfectionem : & contrà omnem perfectionem à forma accipiat materia: ſed actu exiſtere, non eſt aliqua perfectio peculiaris ac determinata, verùm omnibus quæ à mente non ſunt confecta, quæque præſentia ſunt, convenit : de quibus enuntiare poſſumus ea eſſe, ut materiam eſſe: hæ autem enunciationes de preteritis, aut de futuris, quę non ſunt, efferri nequeunt.

Ex quo & aliud dilui poteſt, cùm objicitur, quòd cum in Deo Opt. Max. ſit omnis perfectio, & materia ſit rerum fæx ac recrementũ, in qua reperitur omnis imperfectio: nullum actum poſſe de ea affirmari: nam etſi materia ob ſuam indeterminationem, ut jam ſæpius monuimus, nullum actum, hoc eſt nullam perfectionem obtineat, non eſt tamen illi negandus actus ſubſtantiæ præſentis: quãdoquidem, ſi hoc iterum inficias, eſſet omnino eadem cum privatione : quod ab Ariſtotele libro primo Phyſicorum exploditur : ſic ſi quis adhuc inſtet, quòd ſi de materia actum aliquem aſſerere liceret, qui ſua natura illi conveniret, in concreto ac compoſito duo eſſent actus, materiæ ſcilicet primæ, & formę. Reſpondendum eſt, quòd cùm ſint duæ partes in compoſito, duæ quoque imperfectæ ſubſtantiæ in eo reperiuntur, quæ unam ſubſtantia integram abſolvunt, & concreta ſub-

ſtantia,

ſtantia, à forma, ſpeciem, quod quid erat eſſe, ac unitatem accipit: à materia verò habet quod dimenſionibus conſtet, & dividi poſſit: quæ utraq; corpus ſenſibile faciunt: nam niſi forma materiam informaret, & materia formæ ſubſterneretur, nullus ſenſus de paſſionibus ac affectionibus, quæ in compoſito percipiuntur, judicium ferre poſſet. Sunt igitur in compoſito duæ ſubſtantiæ, & duo actus imperfecti, quæ ut partes, dicuntur eſſe in potentia: totum enim eſt illud, quod verè dicitur eſſe actu. Sed ut forma & materia inter ſe conferuntur, forma dicitur actus & ἐντελέχεια, & materia potentiâ: concretum verò eſt in actu. Materia ergo eſt actu, non tamen ſua natura aut actus eſt, aut in actu. Quapropter aliquando Philoſophi dixerunt, materiam in compoſito eſſe in potentia, & formam in actu: nam ratio eſſendi eſt à forma; & ſubſiſtendi, à materia. Atque id voluit Aver. ſecundo Phyſicorum, cùm inquit, materiam primam eſſe inſeparabilem à forma: nam ſi à forma, ait, ſepararetur, id ꝙ ſua natura non eſt in actu, eſſet in actu perfecto. Eodē ferè pacto intelligi debet Ariſtotelis ſentētia libro quinto Phyſicorum, ubi habet quod generatur non eſt, & quod movetur, eſt perinde ac ſi diceret, quod movetur eſt in actu cōpleto, ipſum ſcilicet compoſitum, cujus eſ-

ſentia ex materia & forma coacervatur: quod autem generatur, non eſt in actu perfecto, ſed ſubjectum, quod quidem eſt in potentia ad perfectionem, fit per generationem ſubſtantia perfecta. Hinc liquet, quòd cōpoſita ſubſtantia omnes proprietates, quas Ariſtoteles illi in libro prædicamētorū tribuit, à partibus ſibi vendicat: licèt unam habeat, ut eſt ſubſtantia perfecta, nempe de alio non dici, nec alteri ineſſe: item non habere contrarium, quod tamen à materia mutuatur: nam non recipere magis & minus, inſequitur hanc proprietatem, non habere contrarium. Non enim, ut alii affirmarunt, non habere contrariū, à formis nanciſcitur: quippe formæ elementorū ſunt ſubſtantiæ & contrariæ ſibi invicem. Habet & aliud à materia peculiare, quod cùm una & eadem ſit, contrariorum fiat ſuſceptrix. Verùm ut huic noſtræ dubitationi juſtum finem imponamus, colligatur ratio qua materiam, quæ eſt ſubſtantia actu, ſubſiſtere, vel ut Græci loquuntur, ὑπάρχει demonſtremus. Omnis qualitas, & omne quod advenit, omniſque paſſio quæ eſt in actu, requirit actu ſubjectum, ut primo de generat. docetur ab Ariſtotele; alioqui paſſiones eſſent ſeparabiles à ſubjecto: ſiquidem ipſę eſſent in actu, & ſubjectum non haberent in actu. Sed generatio eſt paſſio materiæ pri-

mæ,

mæ, ut Ariſtoteles definivit, & materia eſt ſubjectum immediatum in generatione: ergo ipſa erit in actu, alioqui non fieret generatio in actu, ſi ſubjectum ejus eſſet pura & abſoluta potentia. Hæc ratio ſatis evidens eſt, ſi Ariſtotelis verba inſpiciantur primo de generatione, ubi inquit, quòd materia ſit ſubjectum primum generationis. Atq; hæc de actu materiæ, quod ad te exercendum ſpectat, ſatis in præſentia ſint.

De potentia & materiæ Indeterminatione.

CAPUT V.

OPortet prima naturæ principia in omni mutatione ſemper ſimul manere, quòd unum ab alio, niſi mente & ratione ſejungi nequeat. Semper enim materia cum privatione & forma conjungitur: nam cùm jam formæ alicui ſubjicitur, habet privationem formæ, quam materia poteſt recipere: cujus abſentia, cum aptitudine ad illam recipiendam, dicitur privatio. Itaque ſemper unà permanent materia cum privatione futuræ formæ, quæ ſcilicet poteſt fieri & generari. Cæterùm hîc oboritur dubitatio, ſi materia ſemper habet formam, ſemperque privationem formæ venturæ & gignendę, cur ejus notio explicetur per poten-

tiam, non autem per formam vel privationem? Præterea, illa potentia quæ adveniente forma abſcedit, videtur eſſe accidens in materia: nam ſi eſſet ejus eſſentia, & ut loquimur paſſim ejus quiditas, diſcedente potentia, materia quoque aboleretur, contrà quàm ſentiunt Peripatetici, qui æternam eam eſſe aſſerunt. His accedit, quòd ſi potentia eſt in materia per privationem, cùm privatio ſit accidens in materia, quoniam adeſt & abeſt ab ea: forma verò per ſe ſit in materia: videtur per formam potius quàm per potentiam natura materiæ eſſe declaranda. Deinde potentia ſignificat habitudinem ad actum, ut ſæpe docuit Ariſtoteles: habitudo autem habet ſuum locum in prædicamento ad aliquid: at materia eſt ſubſtantia: quo pacto igitur per habitudinem ſubſtantiæ ratio redditur?

Huc accedit, quòd cùm tria ſtatuat cujuſcunque mutationis principia, privationem, materiã, & formam, cur privationis loco non poſuerit potentiam, cùm potentia privationẽ connotet? Poſtremò & hoc in dubiũ verti poteſt, an, ſi anima extrinſecus accedit, materia ad illam eſſe dicatur in potentia? Ut autem his quæſtionibus ſatisfiat, & nullus poſthac reliquus ſit dubitandi locus, quatuor priùs, quæ de materia dici ſolent, non ſunt ignoranda. Primùm materiæ ſubſtantia ac natura, quòd

quòd nulli actui sit addicta, sed àd omnem sit indeterminata: ac propterea tertio Physicorum dixit Philosophus, eandem esse rationem infiniti, & materiæ; sic secundo primæ philosophiæ vocat materiam infinitũ quoddam. Quinetiam volens hanc indeterminationem innuere septimo ejusdem primę philosophiæ, inquit, materiam nõ esse nec quid, nec quale, nec quantum; sed potentiâ omnes actus. Atq; eam ob rem, ut suprà quoq; monuimus, ejus substantia ac natura negatione comprehenditur. Hæc sanè indeterminatio nunquam ad finem perducitur, nunquamq; deficit, nec adveniente forma desinit: ac propterea primo Physicorum dixit Aristoteles, eam secundum potentiam esse ingenerabilem & incorruptibilem: hoc est, sua natura, suaque indeterminatione nunquam defecturam, ob id scilicet, quòd formæ, quas recipit, certo numero non contineantur, sed infinitæ sunt, ad quas naturali quadã propensione & appetitione fertur, quasque certo tempore hospitio velut excipit, ipsis illis substrata, non tamen citra ordinem, nam omnium primæ accedunt elementorum formæ, quæ semper in materia insunt, saltem secundum suam totalitatem, ut ita dicam, & ὁλότητα: quamvis enim hæ sibi invicem opponantur, sintq; secundum partes generabiles

ac corruptibiles: attamen ſecundum ſuam totalitatem nunquam deficiunt. Deinde per has formas, ubi ſibi invicem permiſcentur, materia alias recipit.

Illud quoque non oportet ignorare, quòd privatio, quæ ita appellatur, nihil aliud ſit niſi formæ abſentia, cum potentia determinata ad eam ſuſcipiẽdam atque hæc privatio, ut reſpicit ſubjectum, dicitur imperfectio; quoniam eſt carentia perfectionis. Eſt autem hoc, privari forma, ambiguum. Siquidem poſſumus intelligere, materiam ſub indeterminatione illa privari forma determinata, ac certa: quam privationem quidam potiùs potentiam remotam appellant, quæ ab æterno eſt in materia, & ſua eſſentia: atq; ob id interdum dicunt Philoſophi, eam eſſe in ſubſtantia materiæ. Deinde, licet dicere materiam privari forma quam jam habet, quòd ſcilicet eam amplius recipere nequeat: quoniam non datur regreſſus, licet id ſenſerit Pythagoras. Atq; hoc eſt quod dixit philoſophus in prædicamentis, quòd à privatione ad habitum non eſt regreſſus: eſt tamen loquutio illa impropria, & mihi nunquam arriſit. Dicitur poſtremò privatio, carentia formæ cum proxima habitudine ad eam recipiendam, quæ concomitatur formam cõtrariam, qua materia perficitur, fitque cauſa, ut altera contraria

ria privetur. De hac privatione multa Philosopus pronunciavit, nempe, non esse ens per se: accidere materiæ: esse terminum à quo incipit generatio, & ad quem terminatur corruptio: esse principium per accidens: ejus causa materiam esse generabilem & corruptibilem. Nam materia, cùm propter privationem sit imperfecta, appetit formam. Atq; hæc omnia exquisitè & accuratè sunt explicanda. Non est ergo privatio ens per se, nam ratio privationis est absentia determinatæ formæ, quæ accidit materiæ propter adventum formæ contrariæ: atq; ea forma perficit materiam, cum dispositione ad suam oppositam: puta aliquod calidum, (ut res exemplo declaretur) est potētia frigidū, non quod est potentia dulce, potest recipere frigidum: sed quod est actu calidum, est potentia frigidum. Hæc tamen potentia varia & multiplex est, non secus quàm actus. De hac facultate intellexit Philosophus tertio Physicorū, cùm inquit; si eadem esset potentia sanitatis & ægritudinis, idem esset sanitas & ægritudo. Privatio igitur de qua in præsentia fit sermo, significat absentiam cum proxima dispositione ad formam contrariam, atq; ob id est per se non ens: deinde, dispositionem & potentiam ad determinatam formam. Tertiò, quia privatio concomitatur formam contrariam,

idcirco dicitur accidere materiæ, & denuo adesse & abesse: est tamen cuilibet mutationi necessaria, ceu terminos à quo, vel ad quem. Quoniam in omni mutatione opus est carentia formæ, alioqui ad illam non esset mutatio: nihil enim mutatur ad id quod obtinet. Necessaria est etiam forma opposita, vel aliquid quod oppositum includat: siquidem omnis mutatio est vel ex opposita ad oppositam; vel ex media, quæ oppositarum est particeps, atque ex iis concreta: opus quoq; est dispositione mediæ ad formam. Denique, necessariò requiritur dispositio & potentia immediata & disposita ad formam: quoniam formæ naturales determinant sibi materias proprias in quibus fiant & sint, & per mutationem subjecti oriantur. Hoc itaq; sensu privatio materiæ accidit, diciturque ita necessaria, atq; opus esse ut in omni mutatione præstò sit. Hac quoque ratione asseverare licet, privationem esse terminum per se & primò: sed generationis & geniti principiũ & causam per accidens, magis tamen geniti quàm generationis: quoniam materia per mutationem fit pars compositi, quod gignitur: privatio verò non est elementum nec pars compositi, ut materia: sed in generatione, quandiu ipsa non absolvitur, semper intelligitur aliqua adesse imperfectio, atque ita aliqua privatio,

Po-

Postremò Philos. primo Physicorum inquit: φθείρεται δὲ καὶ γίνεται, ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ. ὡς μὲν γὰρ τὸ ἐν ᾧ, καθ' αὑτὸ φθείρεται. τὸ γὰρ φθειρόμενον ἐν τούτῳ ἐστὶν ἡ στέρησις. ὡς δὲ κατὰ δύναμιν, οὐ καθ' αὑτὸ, ἀλλ' ἄφθαρτον, καὶ ἀγένητον ἀνάγκη αὐτὴν εἶναι: quod est, partim verò interit, partim non: nam quatenus est id in quo, secundum se interit; quod enim interit, in hoc est privatio: quatenus autem potestate est, non per se, sed necesse est incorruptibile esse, nec oriri. Hæc philosophus. Ex quibus patet, quomodo materia aliqua ratione incipere ac desinere dicitur, puta ratione privationis, quæ est in subjecto, ipsiusque materiei, quæ eadem est cum privatione, quamvis ratione & notione differant. Nam ut Simplicius annotat, materiæ potius quàm formæ Philosophus corruptionem tribuit, quòd forma sit in materia, veluti in subjecto. Id tamen mihi minimè arridet, quandoquidem privatio & generatio magis debet tribui enti, quàm non enti. Siquidem non ens impropriè dicitur interire & gigni. Ac cùm docet per privationem res corrumpi, intelligit formam aboleri: nam forma contraria in causa est, ut materia privetur alia forma, quod in eodem subjecto simul esse nequeant. Per privationem igitur intelligi debet dispositio proxima, (quam potentiam propinquam passim vocamus) & forma op-

posita, quæ ineſt ipſi materiæ, quaq́; privatur, dum altera forma gignitur: alioqui Philoſophus parũ propriè fuiſſet locutus. Itaq; propter ipſum non eſſe quod ineſt materiæ, eam corrumpi, & quoquo modo aboleri dicimus: quod tamẽ potius nuncupatur privatio, quoniam mutationes fiunt propterea quòd materia non habeat formam, ad quam mutetur, nam ſi haberet, non mutaretur.

Hinc jam patere quoq; arbitror, cur dicant Philoſophi, materiam per privationem appetere formam: nam ob ſuam imperfectonem appetit perfectionem: quoniam ob ſuam indeterminationem, ut diximus, nullam peculiarem obtinet formam, habetq́; ad determinatam ac propriam, puta leonis vel capræ, impetum atq; appetitionem à privatione: & ut deſinit privatio, ita deficit & hujus formæ appetitus. Eſt nihilominus materia ſua natura, quam per eſſe in potentia Ariſtoteles exprimit (quod nihil aliud eſt quàm materiæ indeterminatio, quæ nunquam incipit aut deſinit) æterna. Quòd ſi inſtabis, in materia quampiam eſſe formam perfectiſſimam, puta hominis, in qua omnes formæ continentur, neque utitur organo: Reſpondeo, formam eſſe finitam, tum à materia, tum ab agẽte: à materia quidem, quoniam certo tempore eam hoſpitatur: ab agente verò, quoniam

in vi

in vi ſeminis non eſt potentia producendi infinitam formam in perfectione, quæ tamen aliquo intrinſecus corrupto deſinit. Atq; ea eſt temperies, quam complexionē quoq; dicunt, cujus ope forma in materia recipitur: atq; hæc temperies contrariū habet: & quamvis nō utatur corporis particula loco organi, eſt tamen in ſubjecto, & quicquid operatur per objectum corporeum operatur, quandoquidem nequit operari citra imaginationem: ut in libro de mente humana docuimus. His ſic explicatis, quæ Ariſtotelis mentem apertè proponūt, facilè erit dubitationibus reſpondere, & primùm, cùm revocatur in dubium, quare per potentiā materiæ eſſentia declaretur: dicimus, quòd cùm à naturali ejus ratio perpenditur, ea cōſideratur per ſuā imperfectionem & indeterminationem quam habet: atq; ejus ratio ac quiditas ſignificat habitudinem ad formam, & hoc modo refertur ad eā, tanquam ad ſuam perfectionem & bonum: atq; hæc habitudo proficiſcitur ex ſubſtantia materiæ, & terminatur ad formam, tanquam ad concauſam, & finem, cujus gratia à natura eſt producta. Verùm prior eſt habitudo ad formā, ut ad finem, quàm ut ad concauſam. Neq; eſt abſurdū, ut ſit habitudo imperfecti ad perfectum, eo modo quo eſſe poteſt, velut dicemus, ubi de cauſa finali diſputabimus.

mus. Quare in hac descriptione materiæ, forma ipsam ingreditur, ut terminus, cujus gratia à natura est instituta. Nec dicimus hanc relationem ac habitudinem esse à mente effictam, sed è natura materiæ oriri; nam quamvis mens faciat, ut ipsa sint actu relativa: utraque tamen est imperfecta substantia, & altera, puta materia, patitur per essentiam; reliqua verò, nempe forma, eam perficit. Atque ita verum sit quod dixit Aristoteles, quòd potentia cognoscitur per actum, & actus per se.

Porrò cùm objiciebatur, quòd potentia desinat: dicendum est, in materia duplicem esse potentiam, alteram quæ significat imperfectionem, & ab Aristotele per negationem describitur, quæq; perennis est, nunquamq; defectura: alteram, quæ ex privatione determinatæ formæ oritur, & hæc, quemadmodum & privatio, materiæ accidit, desinitq; desinente privatione: sed per hanc haudquaquã naturam materiæ primæ describimus, verùm immediatæ & peculiaris materiæ rationem afferimus, quæ ad unam tantùm formam destinatur. Atque hæc potentia & materia, deficiente forma, deficit, ut aliàs sæpius demonstravimus. Ex his solvi potest & alius nodus, quare desinente forma, desinat materia, quæ erat pars compositi, unaq; privatio ac forma opposita deficiat.

Sed

Sed ut rem planius intelligas, operæpretium est novisse, quòd per formam, quæ nova advenit materiæ, desinat privatio, illaque potentia, quæ per privationem habebatur. Cùm verò ea forma quæ jam adest materiæ, aboletur: materia quoq; quæ compositi portio erat, interit, desinitq; esse concausa cum ea forma: Verùm adveniente alia, fit compositi pars, & respectu formæ, est concausa. Nã quanquam materia semper est concausa cum forma, parsq; compositi, non tamen unius ac ejusdem compositi est pars, similiter nec eiusdem formæ est concausa. Atq; hæc est Alexandri sententia libro primo de Anima. Hinc aliud quoque patet, (quod plerisq; etiamnum perobscurum ac difficile habetur) quare nullum æternum, ut est æternum, pars fit corruptibilis: quoniam materia prima, quæ æterna est, ut est pars elementi, puta ignis, desinente forma, desinit esse pars compositi: non tamen simpliciter, sed hujus compositi. Hoc enim sensit Aristoteles primo de generatione, cùm inquit: materia aliquo modo est eadem, & aliquo non. Fit siquidem per formam in actu, & pars compositi, hocque à forma mutuatur, alioqui sua natura est potentiâ pars: & desinente forma, sua natura est potentiâ pars: & desinente forma, quicquid ab illa mutuum accepit, deperit. Cùm verò

dice-

dicebatur, per formam potius declarandam esse naturã materiæ, quàm per potentiam aut privationem. Respondemus id verum esse, quatenus forma est terminus à quo omnis materiæ appetitio dependet, cujusq; gratia à natura ordinatur. Adhęc, ad id, quòd materia, quæ est substantia, esset in prædicamento ad aliquid: respondetur, quòd licèt habitudo materiæ non conveniat, ut est substantia, sed ut alteri confertur: tamen tria illi congruunt, nempe esse actu substantiam, ut primùm cognoscitur, esse habitudinẽ, ob suam indeterminationem, quam habet ad formam: & demum privatio certæ formæ quam habet ad formas; atq; ob hanc materiæ essentia haudquaquam interit, neq; habitudo ad formas, licèt potentia ac privatio certæ formæ deficiat, ut diximus. Nec inde sequitur, ergo esset relativa: aliud enim est, esse alicujus, & esse ad aliquid: materia est alicujus, quia est in comparatione ad formam: non tamen dici debet ad aliquid, nisi denominativè, ut multi asserunt. Atq; hoc pacto Aristoteles dixit secundo Physicorũ, materiam esse ad aliquid: quia est determinata ad formam, tãquam ad suam perfectionem. Semper enim, ut ait idem Philosophus octavo ejusdem, imperfectum destinatur ac determinatur ad perfectum.

Cùm verò quærebatur, quare inter principia,

cipia, potentia loco privationis non enumeretur? dicendum puto, quòd privatio significet alium terminandi, & principii mutationis modum, nempe formę contrarium; at potentia minimè: nec semper deponit actum potẽtia, verùm cohæret cum actu primo: at privatio, cùm actum, cui opponitur, abjicit: attamen potentia, de qua est præsens sermo, actũ rejicit, adversaturq; ei ratione privationis, quam in se complectitur. Itaq; ob id potentia non recensetur inter principia, sed privatio: quia privatio alium principii modum, à materia formaq; diversum, notat, quem haudquaquam potentia explicat. Verùm, quò omnis ambiguitas, quæ de privatione ortum habet, è medio tollatur, videndum est, quare cum Philosophus secundo physicorum docuisset, naturam de materia ac generatione dici, atque tertio de forma, quam magis quoque naturam, quàm materiam esse asserit; subjiciat postea, ubi formæ significationis explicationem aggreditur, forma autem & natura dupliciter dicitur. Ipsa nanque privatio forma quodammodo est.

Hæc enim verba ansam dubitandi præbent, quamobrem privationem esse formam atq; naturam quodammodo dicat: nam si hoc ita se habet, plura videntur comitari absurda; ac primùm privatio minimè esset non ens, ut

su-

ſuperius aſſeruimus: deinde eſſet magis ens, quàm materia. Siquidem quod formæ quadantenus eſt particeps, majorem naturæ, entis ac partis rationem obtinet, (perinde ac forma) quàm materia.

Sunt qui eum locum interpretari conantur hoc pacto, quòd nomine privationis Philoſopus tria poſſit intelligere: nempe formæ abſentiam, quæ cùm ſit quidam veluti habitus, perpetuus materiæ comes, ſubjecto eadem eſt cum materia. Quare cùm ea inhæret infixa materiæ, videtur aliquo pacto habitus eſſe dicendus. Quia igitur privatio materiam ſemper comitatur, natura quodam modo appellatur. Eſt enim ipſa cauſa ortus interitusque naturalis, quia per eam tanquam per terminum, materia habet appetitionem ad formam. Cæterùm hæc interpretatio non conſentit cum verbis Ariſtotelis, quę ſubſequuntur, ubi habet, ſi verò ſit privatio, & contrarium aliquod circa generationē ſimplicem, poſterius cōſiderandum eſt. Nam per ea non videtur formæ abſentiam, ſed contrarium imperfectū ac imminutū intelligere, de quo nono & duodecimo primæ Philoſophiæ loquitur: & de quo ſe libro de generatione dicturum promittit. Adfertur & tertia interpretatio, quaſi per privationem, rem quæ ſit, ſignificet: verùm hæc mihi ſemper hactenus

fuit

fuit ſuſpecta: nam res, quæ fit, & ut dicunt, eſt in fieri, potiùs ſub generatione quàm ſub privatione comprehenditur, ac propterea dixit generationem dici naturam. Dico igitur, quòd defectus, puta cæcitas, aut mutilatio, videtur dicenda natura quæ nomine habitus exprimitur: quia afficit ſubjectum. Atque ita Themiſtius quoque author luculentiſſimus, locum hunc explicat: cujus ſententiam ſemper maximoperè probavi.

Per privationem itaque Ariſtoteles eo loco diſpoſitiones, quibus ſubjectum imperfectum mancumq; redditur, intelligit. Unde primo de generatione ortum cujuſdam elementi minus perfecti, puta terræ, ut cum aëre confertur, aut aëris reſpectu ignis, eum potius corruptione, vel generationem imminutam, quàm generationem appellat. Itaq; dubitatio diluetur, quòd privatio ibi non ſignificet carentiam aut abſentiã puram, ſed diſpoſitionem imperfectã, quam defectum nominamus: atq; ita incommoda illa facile eſt effugere, ſi intelligimus privationem, ut notat abſentiam & carentiam, eſſe per ſe non ens, nec dici quodammodo formam: non autem ut ſignificat defectum.

Denique, ad id quod poſtremo loco quærebatur, an ſi anima eſſet æterna, materia eſſet in potentia ad illam: reſpondendum puto,

insequenti principia Aristotelis, atque ea quæ docuit secundo Physicorum, quòd materia ob id dicitur esse in potentia naturali, quòd propésionem sua natura habeat ad formam, ad quam producendam etsi non sit principium actionis, ab agente tamen naturali in ea disseminantur sparguntur'q; quædã, quæ vim adjuvantẽ obtinent. Atq; ob id dixit Aristoteles, si in lignis esset navifactiva, esset potentia naturalis. Verùm hæc vel esset potentia neutra, vel violenta, tam in lignis, quàm in his quæ fiunt ab arte, ut dicemus infra. Ita in aëre, qui est materia proxima ignis, est aliquid quod ejus generationem juvat, puta symbola, qualitas, & raritas, ut postea planius patebit. Sic & in aqua. Dicendum igitur est quòd materia esset in potentia neutra, si anima esset immortalis: neque illum appeteret, nisi de gremio suo educeretur, ut liquet ex artificialibus: atque ita compositum non esset naturale unum, sed unum arte factum; quare inquirendum esset, quidnam uniret formam cum materia. Ex quo patet, quòd cùm materia ad formam propendet, non sit inquirenda causa unitatis formæ & materiæ: verùm cùm materia, ex qua non depromitur forma, alicui formæ substernitur, jure quæritur quæ sit unitatis naturalis ratio. Et si Arist. 2. de anima exemplificavit de cera & figu-

figura (quorum neutrum unum est in potentia ad aliud) verùm est unio, sed artificialis: illa inquam forma quæ non extra ducitur, non potest dici quòd uniatur materiæ naturaliter, quia nõ per causas naturales. Quod si animadvertissent plurimi, haudquaquam multa, quę Philosophis Peripateticis sunt indigna, effutivissent. Atq; hæc de materiæ potentia satis superq́; dicta sufficiant.

An in materia forma quæpiam existat, ante quàm forma producatur.

Caput VI.

Multis ex latinorum grege ita placuit, quibus Arist. aliter quàm Græcis interpretandus esse videtur, cùm primo de generatione inquiat generationem fieri ex non ente, & ex ente: nam materia prima est non ens in actu, & ens in potentia. Siquidem illi hoc ita exponunt, quòd non sit ens in actu existentiæ, habeat tamen formas coętenas in esse essentiæ, ut loquuntur: quasi eæ formæ in specie materiæ primæ coævę non informent eam neq; denominẽt, sed ab æterno illi insit in esse essentiæ: verùm agens naturale inde eas extrahat, & deducat ad esse existentiæ, & ad actũ, atq; ita denominent materiã, eamq; informẽt. Et quemadmodũ si quis

lapidem hominis figura formaret, nō tamen hujus vel illius, sensus quidem eam hominis esse judicaret, licet nulli similem: at statuarius eam distinctius exsculpens, similem alicui efficiet; non quòd sua opera hominis figuram lapidi induat, (jam antea enim inerat) sed alicui noto similem reddat. Ita inquiunt agens naturale non dat essentiam homini, quippe quæ jam ab æterno præerat in materia, verùm eam mutādo facit ut illa essentia actu existat.

Atque ita asserunt formas quoad essentias æternas esse in materia, atq; in ea re opinioni Anaxagoræ adhærent, qui omnium rerum seminarium quoddā proponebat, ac in omnibus omnia esse ajebat: licèt inter se dissentiant, quòd Anaxagoras omnes res in illa miscella existere asseveraret: hi verò latini formas in materia in confuso & in esse essentiæ esse dicant. Atq; hac ratione evitant creationem, quoniam si nihil formæ antè in materia existeret, prima forma crearetur: deinde sequeretur, quòd nulla generatio esset naturalis, nec materia formam appetitu quodam naturali expeteret. Verùm hæc nullo pacto probamus, nec Peripateticorū opinioni consentire existimamus, sed ut nomina essentiæ & existentiæ innotescant, quoniam reliqua cumulatè intelliges; scire licet, essentiam nō esse aliam ab existentia, ut latini opinantur: sed

ſed res quæ exiſtunt, ut definiuntur vel demonſtrantur, dicuntur ab intellectu eſſe factæ res eſſentiæ, quòd mens earum rationes reddat. Eſſentiæ itaq; & exiſtentiæ à ratione ſunt effectæ, non ut illi imaginantur, quòd quia formæ excipiuntur à materia, inde ortum habeat eſſe, ipſum ergo eſſe, eſt effectus formæ ut participatur à materia: alioqui niſi ita dixeris, in complura incides incommoda. Nam primùm eſſet actus quiſpiam, quem Ariſtoteles nunquam cognovit: puta eſſe, quod medium eſſet inter formam & actum ſecundum, qui eſt operatio.

Duplicem quidem Philoſophus ſecundo de anima facit actum, primum, qui eſt forma; & ſecundum, qui eſt operatio: nunquam tamen ponit actum hunc medium, qui eſt effectus formæ, & principium operis. Idem enim eſt formam eſſe in materia, & compoſitum eſſe: nam per eſſe intelligitur compoſitum: atq; hæc eſt Ariſtotelis ſententia. Cùm autem dicit, aliud eſt carnis eſſe, & caro; per carnem intelligit ſingularem, & per carnis eſſe, rationem carnis, atque ita materia diſtinguitur à forma ſecundum eſſe, id eſt ſecundum rationem. Habemus igitur, quòd eſſentia eſt ratio, & eſſe ipſum ſingulare, quod exiſtit: exiſtentia enim eſt, prout componitur; eſſentia verò, ut definitur: quare in compoſitis eſt ma-

teria & forma, ſed aliud eſt compoſitum à forma; & ſic differt eſſe eſſentiæ, ab eſſe exiſtētiæ. At in iis quæ ex materia non coaluerunt, ut ſunt divinæ mentes, idem eſt res ut definitur, & ut exiſtit: nec alia ratione definitur, quàm eſt. Deinde, eſſet & aliud abſurdum, quia id medium ſi non eſt compoſitum, nec materia, aut forma, eſſet medium inter ſubſtantiam & accidens; atque ita generatio non terminaretur ad ſubſtātiam. Dicendum igitur eſt, quòd eſſe dicatur de compoſito, & re exiſtenti. Quare eſſentia ab exiſtentia non dirimitur re, ſed ratione: & prout compoſitum exiſtit generationem terminat.

Quòd ſi deſcendimus ad materiā primam, in qua ſunt formę ſecundum eſſentiam, ut latini ajunt, hoc certè incommodum evitare nequimus, quia res ut definiri poſſunt, antè eſſent in materia: atq; id deſtruit univerſam Ariſtotelis Philoſophiam, quoniam intellectus facit res definibiles quando ſunt: univerſale enim, quod efficit intellectus, aut nihil eſt, aut poſterius; oportet igitur rem antè eſſe, quàm habeat eſſentiam. Accedit, quòd hæc ſententia ſit quavis abſurditate abſurdior: quia eſſent formæ in materia, quæ non informarent, nec denominarent; ex quo ſequeretur, eas non fore formas, quandoquidem formæ propriū eſt informare. Quia nec mens con-

concipere poteſt, formas eſſe in materia, nec eſſe formas, & tamen diſtingui à materia: nam ſi non eſſent in materia, neceſſariò eſſent formæ; quare neceſſariò eſſent formæ; quare neceſſariò quoque informarent: nam ratio formæ, eſt informare.

Quòd ſi occurres, competere quidem formæ ut informet, in eſſe exiſtentię, non autem in eſſe eſſentiæ: ita objiciemus, forma in eſſe eſſentiæ habet rationem formæ, ſed in ratione formæ eſt perficere aliquid, igitur in eſſe eſſentiæ id ei convenit. Ad hæc, ſubſtantia reciperet magis & minus, quod abſurdiſſimũ eſſe putavit Philoſophus. Poſtremò, ut materia ſecundum omne ſuum eſſe eſt receptrix formæ, ita & forma ſecundum omne ſuum eſſe eſt actus materię: nec ſecundũ illum eſſe, licet imaginari materiã non eſſe materiã, nec formam ſecundum illũ eſſe non eſſe formã. Hinc liquet, formam quam vocant corporeitatis, commentitiam eſſe: nullam enim rationem formæ habet: cumq; forma elementi ſit prima & imperfectiſſima, eſſet aliqua prior & imperfectior, nullum tribuens actum materiæ, quod repugnat rationi formæ, ut aliâs à me fuſiùs fuit diſputatum. Quare ſatius eſt dicere, materiam & formam eſſe partes compoſiti: non tamen materia recipit compoſitum, ſed formam, per quã compoſitũ eſt.

Neque hoc ita ſtatuere neceſſe eſt, ut devitetur creatio formæ, quia forma non fit, ſed compoſitum, & in materia accipit ſuum eſſe. Et licet per generationem fiat, ut cauſa, cujus ope fiat compoſitum, tamen ut purus effectus compoſitum fit: non enim per ſe generatur forma, ſed compoſitum: & forma dicitur generari ut compoſitum fiat: verùm cõpoſitum generatur ut effectus tantummodò. Et quamvis generatio dicatur terminari ad formam, hoc ideò accidit, quoniam in illa ceſſat motus tanquam in parte, per quã compoſitum conſtituitur & fit; quia dum erigitur forma, fit compoſitum: educitur enim forma ut pars & cauſa compoſiti, atque ita terminus eſt generationis, non tamen ut effectus. Si enim terminus eſſet ut effectus, fieret ex alia forma, ut Ariſtoteles duodecimo primæ Philoſophiæ teſtatur. Non igitur creatur forma, quia non fit per ſe; ſed crearetur cõpoſitum, niſi prior exiſteret materia. Nec prodeſt dicere, eſt terminus generationis, & ut cauſa, ergo per ſe gignitur, quoniam ad generationem per ſe requiritur effectus per ſe, atq; hoc nulli præterquàm compoſito competit.

Nec obſtat quod vulgò circumfertur, non dari generationem naturalem, quoniam materia prima, quæ proximè ac immediatè ſubjicitur elementis, quamvis ſua natura anceps

ſit,

ſit, & ad privationem, & ad formam: tamen quia diſponitur à formis elementorum ſymbolis, hoc eſt, in aliqua qualitate convenit, (utputa aër dicitur materia proxima ad medio carens ignis & aqua aëris) magis propendet ad hanc quàm ad illam formam: materia enim prima diſpoſita magis ad formam aëris quàm ignis, acquirit eam formam: atq; ita de aliis. Et licet elementa ex ſe invicem gignantur, velut poſtea declarabimus, tamen immediatius elementum diſponitur ad formã hujus quàm illius. Cæterùm in mixtis materia prima non adjuvat generationem, verùm vi agentis naturalis ita diſponitur, ut juvet & unà agat: puta ſemen in hominis generatione dicitur ratio ſeminalis: quoniam cum ſemine à patre emittitur virtus quæpiam, quæ habet rationem inſtrumenti, quæ ſeminalis ratio nuncupatur, eſtq; in ſemine potentiâ animal. Atq; ea virtus primùm ex parte aërea ac ſpumoſa gignit ſpiritus, iisq; productis oriuntur membra principalia, nempe cor, deinde cerebrum, atque ita alia: eſt enim cor veluti fons & arca ſpirituum. Nec impedit quòd appetitus materiæ à privatione proficiſcatur; nam quamvis materia ſit in potentia ad privationem, & ad formam oppoſiti: attamen natura ſua fertur ad formam, quia omne imperfectum eſt gratia perfectioris, non ſecus

quàm corpus, quod etsi sit in potentia ad sanitatem ac ægritudinem, tamen naturali instinctu fertur ad sanitatẽ, tanquam ad dispositionem sibi connatam, nisi quid impedierit; sic elementa licèt nullam figurã sibi asciscant, nullo tamen obstante, ad orbicularem propendent tanquam ad perfectiorem. Eodem quoq; pacto natura instituit materiam, ut esset gratia perfectioris. Et de potentia materiæ satis.

An materia prima sit omnium generabilium & corruptibilium una?

CAP. VII.

ARistoteles primo Physicorum, ubi conclusit, omne quod fit, ex subjecto aliquo fieri, subdit, hoc subjectum esse unum numero, ratione verò duo: nam & hoc aliquid magis quod fit, ex ipso fit, & non secundum accidens. Quibus verbis censet materiam esse unã numero, quòd sit inter entia numerabilis; esseque magis hoc aliquid quàm privationẽ. Quin & primo de generatione inquit, materiam esse aliquo modo eandẽ, & aliquo modo non. Unde difficilis, diuq; agitata quæstio oboritur, an materia prima sit una numero? habet enim rationẽ satis validã, quia substantia cùm sit subjectum contrariorum, debet esse una, agensq;, & passum in materia con-

convenire. Verùm illi brevibus ſatisfaciemus, quòd cùm tribus modis dici poſſit materia, uno, ut non eſt quid, nec quale, nec quãtum, atque hoc modo eſt una in intellectu, quoniam intellectus unita diſtrahit: altero, ut mens apprehendit eam ſubſtratam eſſe formæ cum potentia ad aliam oppoſitam: atque ita quodammodo eadem eſt, & quodammodo non eſt eadem, quoniam materia quæ eſt ſub forma quapiam, illa eadem eſt in potentia ſub alia, in actu tamẽ minimè: quoniam tunc aliam habebit unitatem, quàm nunc habet, ſub ea forma cui ſubjicitur. Nam ut eſt in potentia, eſt omnibus communis, propter ſuam indeterminationem, propter quam nullam formam ſibi peculiarem obtinet.

Nolim tamen te ignorare, quòd licèt ſit ſubſtantia actu exiſtens, habeatq; in potentia unitatem, quæ eſt enti ſynonyma, ea tamen unitas non eſt numeralis, quoniam quæ numeralis eſt, accedit à forma, veluti libro quinto primæ philoſophiæ docetur: nam materia nõ numeratur niſi à forma, à qua accipit unitatem, fitq; quanta. Verùm unitas quæ convenit illi ut eſt ſubſtantia actu exiſtens, nequit numerari, ſed mente tantùm concipitur: dicimus enim materiam eſſe materiam, atq; ita materiam primã eſſe unam, quoniam in primis principiis non datur niſi unũ, ſed hęc unitas

tas non ſignificat aliquid ſupra ens, præter negationem: at unitas numeralis eſt à forma in materia quanta. Hinc patere jam poteſt quare intelligentia non ſit una numero; quia nō eſt materia. Sed nec plures numero, quia numerus non convenit, niſi rei quantæ. Quare in divinis unitas numeralis & numerus ponitur per æquivocationem: & cōmunitas materiæ eſt communitas ſubjecti, & non prædicati. Atque eadem illa unitas materiæ convenit omnibus ejus portionibus in potentia; neque natura ſua deficit. Attamen ſucceſſio formarum facit ut ſit æterna in actu, unaque numero actu: ac per eandem ſucceſſionem ſpecies mundusque æterna ſunt: at materia propter ſuam indeterminationem eſt ęterna, licet æterna quoq; ſit ſucceſſione formarum, ut ſit pars compoſiti, atq; hac ratione non eſt eadem. Quòd ſi poneretur ſeparata ab omni forma, haudquaquam eſſet, niſi nanciſceretur à mente unitatem, eſſetque figmentum.

Nolim tamē tibi perſuadeas, quòd quemadmodum multæ aquæ diviſæ poſſunt in unum locum confluere; ita multæ materiæ portiones coeant tāquam in unum acervum ac maſſam, unumq; corpus: nam nullam habere poſſunt unitatem, niſi à mente confectam, ſi eæ portiones ſub aliqua forma non connectuntur. Quocirca una eſt omnium gene-

ne-

nerabilium materia in potentia; in actu verò plures, perinde ut ipsa pluribus formis substernitur. Cùm autem Aristototeles inquit eam esse numerabilem, intelligit per formá, vel in potentia, quod minimè convenit privationi. Quòd si sciscitéris, sitné una specie, an genere? Dicã, quod opponitur unitati tam speciei quàm generis: quoniam unitas generis est unitas nominis: unitas verò speciei est rationis, quarum utraq; materiæ haud convenit, nam est una in potentia quæ multis formis subest. Attamen unitas materiæ similis est unitati generis: quoniam genus constituitur & determinatur differentiis, perinde atq; materia formis: posces autem differentias generis ac materiæ ab Alex. ult. qu. 2. lib. suarum quæstionum naturalium. Quòd si rursus objicies, verba Philosophi è septimo lib. primæ philosophiæ, ubi habet, quòd generans gignit aliud propter materiam: igitur materia est diversa: dicendum est, quòd in eadem specie diversitas ac multitudo provenit à materia & agente. Verùm in primis ac supremis mentibus, ubi non est generatio, non est diversitas in eadem specie propriè dicta, quoniam non est materia, propter quam res sunt divisibiles: neq; fit forma, ut diximus, ex duodecimo libro primæ philosophiæ: atq; ob id dixerunt philosophi, nullum esse proventum

in

in intelligentiis, nam ſi ſit forma, ſit in ſubjecto, quod eſt compoſitum. Illæ verò formæ quæ ſimplices ſunt, ac abſolutæ, nulli inhærent ſubjecto, veluti illæ quæ largiũtur ipſum eſſe, quales ſunt animæ ſub cœlo. Laboravit quidem Averroës dum conatur demonſtrare, quomodo illæ uniantur cum orbibus ſuis, in libello de ſubſtantia orbis: verùm nos id propria diſputatione illi quæſtioni aliâs libro de cœlo docuimus.

Cæterùm hìc clanculum aliud video ſuboriri dubium, an una & eadem ſit materia generationis, & alterius motus, quam alterationem & augmentum dicimus. Latinorum ferè præcipui aſſerunt unam eſſe, ob id quòd Ariſtoteles libro primo de ortu & interitu, dicat materiam eſſe ſubjectum generationis & alterationis: aliorum autem pòſt: Verùm ea verba aliter ſolitus ſum interpretari, quòd materia propriè ac præcipuè dicatur ſubjectũ generationis: quoniam ratio materiæ conſtituitur per potentiam, quæ eſt, ut inquit Alexander libro primo quæſtionum naturalium, eſſe materiæ, prout ſubjicitur generationi. Materiæ verò tranſmutationis & augmenti, ſunt quodammodo materiæ, non tamen propriæ, quòd eſſe earum ſit in actu, non potentia. Et quamvis materia alterationis, ut diximus, ſit quodammodo in potentia, tamen ipſum

ipſum ejus eſſe in actu eſt, quoniam ſub hac ratione ſubjicitur entibus. Materia verò augmẽti eſt id quod augetur, ipſum ſcilicet quãtum, quod proprium eſt ac immediatum, cui auctio convenit, & nutrimẽtum eſt id ex quo fit auctio, veluti capite illi proprio diſputabimus. Cùm igitur materia, ut potentia generationi; ut verò eſt actu, alterationi; atq; ut eſt quanta, augmentationi ſubjicitur: una erit omnium materia, verùm diverſa ratione, nam propriè ac peculiariter generationi: cæteris autem quodammodo, quoniam horum materia non ſimpliciter eſt in potentia alterationi, nanque ut ens in actu, & augmento, ut quantum in actu, ſubmittitur. At motus localis materia potius eſt nuncupandum ſubjectum, quoniam res quæ movetur, eſt corpus in actu, quod quidem materia ad locum, & vulgò ad ubi vocatur. Omnes porrò hæ materiæ includunt materiã primam, non tamẽ ſub ea ratione, qua eſt in potentia, ſed ut omnium pars, quæ prior motibus exiſtit: quoniã quod generat, largitur cuncta accidentia quæ formam ſubſtantiæ comitantur, è quorum numero unus eſt motus localis. Atq; hoc pacto exponenda eſſe puto Ariſtotelis verba, quòd aliorum quodammodo ſit materia, quandoquidem non ſub ratione potentiæ, ſed aliquo modo, quia ſub ratione actus illis mutationibus ſubjicitur.

Cæ-

Cæterùm aliam longè difficiliorem ſentio emergere quæſtionem, qua dubitati ſolet à Philoſophis, cùm primum quod in materia apparet, ſit ratio corporis, an materia ſua ratione habeat eſſe corporis, an verò à forma: & ſi habet à forma, quænám ſit illa quæ primò materiæ advenit: nam cùm ratio corporis omnibus compoſitis naturalibus competat primò, videtur à prima forma ea illis competere. Placuit Stoicorum quàmplurimis, materiam ſua natura eſſe actu corpus: at latinorum principibus viris videtur materiam eſſe corpus ob trinam dimenſionem, quæ illi prius quàm forma ſubſtantialis advenit, atque ea trina dimenſio materiæ eſt coæterna, eſtq; non ſecus quàm materia indeterminata, & quemadmodum forma ſubſtantiæ accedens, materiam certis finibus deſcribit, ita & dimenſionem terminat ac circumſcribit. Porrò differt quantitas indeterminata & terminata, ſicut actus & potentia: nam indeterminata notat potentiam, terminata verò actum & finẽ. Itaq; materiæ primæ trina dimenſio primùm advenit, & ratio hujus eſt, quoniam forma cùm dividi nequeat, nequit eſſe cauſa, quare materia dividi poſſit. Et qui aliter aſſerunt, ordinem naturæ ſubvertunt, quoniam faciunt id materiæ primùm ineſſe quod poſterius eſt: nam cùm accidens poſterius quid-

quiddam ſit quàm forma ſubſtantiæ: ipſum primùm materiæ uniretur, eamque perficeret. Quare jure optimo ſubſtantiæ forma prima eſt ponenda in materia: nam materia prius fit quid, quàm quantum, vel quale quiddam. Quòd ſi trina dimenſio in materia formam ſubſtantiæ præcederet, atque in ea prius reciperetur: profectò prius eſſet quanta, quàm quid. Adhæc, quòd univerſali ratione per ſe alterius eſt cauſa, cuicunq; comparatur, per prius cauſa illi conferri comparariq; debet, quàm effectus. Quare, cùm forma ſubſtantiæ univerſali ratione præcedat formam accidentium, ſi uni tertio cuipiam conferuntur, cùm ſubſtantia ſit cauſa accidentium, ejuſdemque generis cum materia cui confertur: neceſſe eſt ut per prius forma ſubſtantiæ uniatur, quàm forma accidentiū: nam ſi aliter fit, pervertitur ordo entium. Et licet ad exiſtentiam materiæ ſit neceſſaria trina dimenſio, tamen non minorem neceſſitatem ad exiſtentiam materiæ adfert forma ſubſtantialis. Quandoquidem per formam exiſtit in actu, & per quantitatem dicitur diviſibilis. Præterea generans primùm ſibi proponit eſſe: quare primò dat formam ſubſtantiæ, qua intercedente cætera accidentia inſequuntur. Itaq; forma prius in materia recipitur quàm accidens. Rurſus trina dimen-

ſio, quæ eſt in potentia ad terminum, aut eſt in prædicamento quantitatis, aut in aliis. Si eſt in quantitate, eſt actu quanta, cùm ſit actu dimenſio: atq; ita quantitas eſſet ſeparabilis, quia eſſet in actu: ejusq; ſubjectum eſſet pura potentia, ut docuit Ariſtoteles primo de Generatione: quòd ſi quantitas eſſet potentia, nihil aliud eſſet quàm materia, quia materia eſt potentia omnia. Adhęc finitum & infinitum quantitati conveniunt ex primo Phyſicorum, ſi ergo eſſet indeterminata quantitas, non ob id removeretur à ratione quantitatis, quoniam cujus eſt actus, potentia eſt in eodem genere: eſſet igitur quantitas. Quòd verò ante formam ſubſtantialem ſit quantitas, nullo pacto affirmare licet.

Quocirca ut hæc controverſia dirimatur, prȩſtat dicere, quòd cùm materia multam habeat ſimilitudinem cum loco, & contrà (id enim concedit Philoſophus quarto Phyſicorum) ut eſt quædam capacitas, in ea duo ſanè ſunt animadvertenda: primùm, quædam ad recipiendum aptitudo, quam receptibilitatē ſi placet, nominemus, ut res planius intelligatur: deinde aptitudo, ut in partes quȩ eandem habeant rationem cum toto dividi poſſit, quam diviſibilitatem dicemus. Itaq; in materia, poſt ſubſtantiæ notionem, primùm ſe offert ejus capacitas, qua cujusvis formæ materialis

rialis recipiendæ fit capax, quę à potentia propriè proficiſcitur: eſt enim materia receptrix omnium formarum, idq; ob ſuam propenſionem ac appetitionem, qua formas recipiendo perfici deſiderat, & appetit. Ea autem appetitio ex imperfectione ortum habet: nam quod ſummè perfectum eſt, non indiget extrinſeco, ut perficiatur. Igitur cauſa, quare omnes formas poſſit recipere, eſt ejus imperfectio, quã natura ſua ſortita eſt. Hinc ſuccedit ipſa diviſibilitas, quæ nihil aliud eſt quàm quædam materiæ aptitudo, qua in plures partes ejuſdem rationis dividi poteſt. Proinde materia ſua natura duas obtinet aptitudines; alteram qua formas appetit ut perficiatur (eſt enim longè omniũ imperfectiſſima) quam capacitatem & receptibilitatem diximus: & alteram diviſibilitatem, qua plures formas ob ſuam ad eas propenſionem recipere valet, atq; hæc Græcis quantitas materialis nominatur. Eſt & quantitas formalis, quæ pro formarum varietate, varios ſortitur terminos. Hæc inter elementa maxima eſt in igne, & minima in terra. Ille enim habet formam quę exigit materiam tenuiſſimam, quoniã calidi eſt rarefacere. Cætera verò elementa quò ſunt craſſiora & graviora, eò minus habent tenuitatis. Forma ergo naturalis materiã perficit ut ſubſtantiam, terminatq; dimenſiones,

prout natura formæ patitur. Porrò hanc quãtitatem, quæ ſequitur formam, Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſ. vocat accidens, quod ſit diverſum quodpiam à ſubſtantia.

Quòd ſi objeceris, materiam per quantitatem dividi, quia diviſio quanto convenit; reſponderem, quòd partitio quæ actu fit, & actualis noſtris dicitur, quantum præſupponit, neq; poteſt alteri, præterquam quanto competere: Verùm aptitudo ad diviſionem eſt ipſa materia: quoniam ſua natura, nihil aliunde mutuata, capax eſt omnis diviſionis: atq; iccirco Philoſophus dixit, materiam eſſe potentia quantam, quòd ſi dimenſiones eſſent in ea æternæ, nequaquam eſſet potentia quanta, ſed tantùm haberet quantitatem atque extenſionem ea ratione, qua eſt potẽtia, & non eſt actu formata. Sic nullam habet rationẽ prædicamenti, ſed per formã ſubſtantię omnia prædicamenta adipiſcitur: eſſet alioqui ordo naturæ imperfectus, ſi eſſet quanta in actu, & potentia alia omnia. Quòd ſi inſtabis, ut eſt ſubſtantia actu, id nanque ſuprà docuimus, ita eſſe actu quantam, & qualem. Dicendum erit, non eſſe ſubſtantiam actu, quandoquidem non eſt tota ſubſtantia, ſed pars, ac ſubſtantia remota & imperfecta: adipiſcitur autem reliqua prædicamenta, quæ formam ſubſtantiæ ſequuntur, formæ interven-

ventu: atq; ita est potentia remota. Similiter ut sic nudè consideratur, est quoq; potentia substantia composita, & formæ, verùm maximè ac citra mediũ potius propendet ad formam substantiæ quàm ad alia quæ per formã acquirit. Quin & agens primò largitur perfectionem & formam, qua intercedente cætera accidentia comitantur. Habes itaq; quomodo in materia est aptitudo, qua dividitur in partes, quæ dicitur quantitas materialis: & quo pacto quantitas formalis sequitur formã, & totum & per formam ex utraq; concinnatur. Quę si ita intelliguntur, nulla relinquitur controversia, neq; ordo naturæ pervertitur.

Quare hæc de corpore, ut tribus dimensionibus constat, quantum est sufficiant. Superest longè obscurior quæstio, qua ratione corpus, ut substantia fiat, quæ nobis jam est explicanda. Stoicis, ut refert Simplicius primo Physicorum, materiam corpus esse visum fuit, quin & Aristoteles primo de generatione, cap. de augmento, vocat materiam corpus, quòd corrupta genitáque remanet. Cui astipulatur Averroës libro primo Physicorum, dum inquit: videmus idem corpus mutari de carnestreitate in terrestreitatem: ratio quoque idem docere videtur, quandoquidẽ corporis esse non est à forma quæ indivisibilis est. Rursus Arist. octavo primæ philoso-

phiæ ait, quòd gignens non dat multitudinem, ſed perfectionem: quare forma non tribuit eſſe corpori, ſed perfectionem tantùm. Adhæc, ſi eſſe corporeum non provenit à forma, ergo à materia, quoniam eſſe ſuum videtur eſſe corporeum: alioqui, ſi eſſet incorporea, omnia illa abſurda, quæ habet Ariſt. 1. de generat. cap. de augmento ſequerentur. Item, totum & compoſitũ ſortitur ſuum eſſe à partibus, quibus conſtat, ſed non à forma: ergo à materia, quæ compoſiti pars eſt. Amplius, ſi corpus eſſet quiddam diſtinctum à materia, haberet ſubjectum: at corpus eſt primum in prædicamento ſubſtantiæ, & ſi poſſet adeſſe, & abeſſe, haberet contrarium: ſed nulla alia ratione efficaciori id convinci poteſt, niſi, quòd primę qualitates elementorum, quibus materia formatur, eſſent corpora, cõtra quàm nos ſentimus: nam duo abſurda ſi corpora eſſent, ſequerentur: primum, quòd ante adventum qualitatũ materia eſſet expers corporis, eſſetq; , ut docet Ariſtoteles, vel vacuum, vel ſicut punctus: alterum, quòd cùm generans agat in materiam per tactum naturalẽ, cumq; ſi corporis expers eſſet, tangi nequiret: omnino neceſſe eſt, ut corporea ſit, ſi tangi debet. Quamobrem poſteriores Philoſophi cõtendunt primam formam, quæ materiæ gremio primùm excipitur, eſſe formam corporis; poſt

eam

eam ſequi dimenſiones, ac cæteras formas: idque ne formæ creentur, atque ex nihilo & non forma gignantur. Inſuper, diviſiones formam corporis ſequi de genere ſubſtantiæ, alioqui dimenſiones fore primas formas in materia, ut Averroës libro quarto de cœlo affirmavit. Cæterùm, mea quidem ſententia, hæc forma ridiculè ſatis fuit excogitata, eſtq; in philoſophia ſupervacanea.

Sed ne in ęquivocatione nominis corporis laboremus, ſcire licet, per formam jam apud illos intelligi formam quandam communem & genericam, quæ ſit diſpoſitio ad cæteras formas recipiendas, quæq; ſua natura haudquaquam recipit, ſed materiam præparat, quò cæteræ formæ recipiantur. Atq; in ea re diſſentit Averroës ab Avicenna, quòd eam ſpecificam faceret, quoniam inquit Averroës lib. 1. primæ Philoſophiæ, materiam primùm recipere formas generales, deinde ſpecificas, quandoquidem materia prius recipit generum formas, quàm ſpecierum. Verùm ut diximus, hæ rationes nec ſapiunt Philoſophiam, nec ad erudiendam juventutem conducunt: nam ſi hæc forma eſſet æterna in materia, præcipuum ac proximũ generationis ſubjectum eſſet compoſitum: atq; ita omnes formæ eſſent accidentia, eadẽ ratione qua Averroës perſuaſit dimenſiones eſſe ſubſtantias in

materia. Adhæc ſi eſſet forma, haberet rationem formæ, quæ eſt dare eſſe, atque ita largiretur eſſentiam, neque tantùm diſponeret ac præpararet materiam ad recipiendum alias formas, ſed eſſet actus in ea. Præterea genus, inquit Ariſtot. aut eſt materia, aut nihil præter generis ſpecies: ac corpus pro ſubſtantia, non eſſet materia, ſed compoſitum, nec generis ſpecies, ſed aliquid præter eas. Deinde ſi reperiretur hæc forma ſuperaret materiam, (id enim quod habet rationem formæ excedit materiã) ſed omne ꝙ ſuperat materiam habet rationẽ actus, ergo eſſet actus, quia diſpoſitio refertur ad materiam. Huc accedit, quòd major eſſet unitas generis quàm ſpeciei, quoniã in ſpeciebus eſt ſimilitudo quę in formis reperitur, ſed in genere eſt unitas ratione formæ, & maximè in genere generaliſſimo. Item formæ quę in lucem prodeunt, vi agentis, ꝙ alterat materiã, aut ex materia educuntur, aut compoſito: ſi ex natura materiæ, nihil confert hæc forma corporis; ſi autem è compoſito, forma eſſet principium paſſionis, cùm ſit ratio recipiendi. Poſthęc, in omni prędicamẽto, in quo eſt ratio motus, eſt aliquod interminatum, quare in prædicamento ſubſtantiæ eſſent duo interminata, materia inquam, & forma. Repugnat autem Ariſtoteli, ut videre eſt ſeptimo primæ philoſophiæ, ubi

con-

contra Platonem diſputat, quòd res non facta per actionem intellectus, eſſet actu univerſalis. Præterea per hanc formam eſſet materia una numero, quare non indigeret aliis formis, ut ad actum reduceretur. Deniq; hoc quod ſuperat omnem admirationem, genus eſſet in actu extra intellectum, non autē ſpecies: quoniam ſpecies ipſa eſt ſingularium ſimilitudo. Sunt & præter has aliæ rationes, quas quidem in quæſtione huic rei dicata afferemus. Itaque ut quid hic ſentiendum ſit omnibus pateat, ſciendum eſt, corpus naturale conſtare formis elementi, & materia: hanc enim primam compoſitionem facit Philoſophus ſecundo de Partibus animalium à principio, unde ratio corporis oritur. Atq; ob id corpus naturale, quod collocatur in prædicamento ſubſtantiæ, proficiſcitur ex materia & forma elementi: non enim corporeitas, quam dicunt, eſt materia prima, quod quidam conceſſerunt: ſed materia cum forma elementi fit corpus naturale actu, quoniam à materia habet potentiam aptitudinemq́; ad diviſionem: à forma verò cum materia, quòd ſit corpus, itaq; materia non eſt corpus actu, ſed ſubſtantia, quæ habet has partes: multoq́; minus forma, cùm ſit ſua natura indiviſibilis, niſi in materia recipiatur: tunc enim fit corpus in actu, quia ex perfectione & materia

constituitur compositum, coacervaturq; corpus. Atq; ejusmodi corpus habet suam sedem in prædicamento quantitatis: hoc est, fit longum, latum, ac profundum. Quapropter supremæ mentes non constituunt corpus quòd non sint formæ in materia, quæ eam perficiant, ad quas sequeretur quãtitas, vel anteiret, & si anteiret, utraque pars dividi posset: si insequeretur, forma divideretur. Quòd si largiretur esse informando, per accidẽs moveretur: si informaret, per quantitatem intermediam divideretur. Quomodo verò intellectus uniatur cœlo, alibi à nobis declarabitur: nam etsi Averroes integrum ea de re libellum conscripserit, tamen hanc unionem non est assecutus, neque sibi satis constat. Atque ut rationibus suprà adductis satisfaciamus, dicimus, quòd cùm Aristoteles dicat materiam esse corpus: corpus sit in potentia: verum est corpus commune, ut sensu percipitur: quoniam semper forma est unita materiæ, nec unquam ab ea sejungitur.

Porrò cùm hujus opinionis assertores dicant, quòd si ita se res haberet, forma ex nihilo fieret: respondendum est formam per accidens gigni, quamvis sit terminus per se, veluti suprà docuimus: atq; ea quæ accidentariè gignuntur, opus habent ut aliquid præcedat: esset enim formarum latitatio, ut Anaxagoras

goras

goras sensit. Et quamvis è materiæ sinu depromatur, non tamen ob id asserendum est, formam creari: corpus igitur generatur in actu, à generante per primas formas elementorum, ex quorum quoq; commistione corpora mixta fiunt quanta: atq; hoc commune est rebus omnibus quæ sunt in prędicamento substantiæ. Quare omnis quæ dicitur corporeitas & moles ab elementis oritur, quæ materiam informant; atq; iccirco appellantur prima corpora, unde ratio quoque corporis mixtis accedit. Oportet igitur in his quæ cœli cõnexo subjiciuntur, ut corpus forma & materia cõstet: ad id enim consequitur quantitas pro formæ in materia cõditione. Verùm cœlum alia ratione longè ab his diversa est corpus, est enim simplex, haudquaquã forma & materia prima coagmẽtatum, sed sua natura tale, quemadmodum Aristot. 1. lib. de cœlo nititur demonstrare. Atq; ob id Averroës dixit, ipsum magis esse subjectum quàm materiam, quòd sit actu corpus, & simplex, ac cum cæteris corporibus ęquivocũ, estq; veluti forma elemẽtis reliquis, licet quia movetur, obtineat rationẽ subjecti. Porrò quæ Averroës commentus est, quòd alia sit quantitas illius à quantitate horum corporũ, hoc non est ratione quãtitatis, sed materiæ: quia alia est substantia cœli, & alia sublunarium. Atque ita

aliis

aliis omnibus rationibus quæ passim circunferuntur, satisfieri potest: quare de forma corporis hactenus.

An reperiatur aliud corpus, præter naturale & mathematicum?

CAP. VIII.

ARistoteles libro secundo de partibus animalium, triplicem in natura ponit esse compositionem, unam ex virtute elementorum, & materia prima, ex quibus conflatur elementum: alteram ex elementis, ex quibus constant partes similares: & tertiam ex partibus dissimilaribus, & multiformibus, ex quibus totum coagmentatur. Quare cùm tres sint compositiones, tria quoq; erunt corpora naturalia, nempe elementum, pars similaris, & dissimilaris, sive ἐπεργῶν. Est & corpus Mathematicum, quod Aristoteles τὸ ἐξ ἀφαιρέσεως appellat, quod post corpus quantum à passionibus & qualitatibus sensibilibus abstractum. Videtur præterea tertium quoq; aliud necessariò reperiri, quod cōstet materia & forma substantiæ, quodq; præcedit quantitatem & passionem: atque id à quibusdam Metaphysicum nūcupatur, quod abstrahit & separatur à quanto & quali. Itaq; in dubium vertitur, an ejusmodi inter corpora

pora ſit numerandum: ut dicamus alia eſſe corpora naturalia, alia verò quanta & Mathematica, & alia Metaphyſica. Quod ita diluendum mihi eſſe videtur, nullam ſcilicet eſſe compoſitionem ex materia & forma corporis, quod ſuprà quoque docuimus: quoniam primam compoſitionem Ariſtoteles ex qualitatibus & materia conſtituit. Quòd ſi eſſet forma prior, tunc prima compoſitio non eſſet elementorum, ſed generis: nec forma elementorum eſſet prima & imperfectiſſima, eſſet enim alia prior atq; imperfectior: at genus nullam habet formam, eſt nanque tenuis ſimilitudo earum rerum quarum eſt genus. Quòd ſi inſtabis compoſitum & individuum ſubſtantiæ eſſe prius cæteris prædicamentis: ergo compoſitum ex materia & forma prius erit compoſito mathematico, & naturali: ac per naturale, ſubſtantiam & cætera accidentia intelligimus. Dico quòd ejuſmodi ratione tantùm comprehenditur: nam ſenſus, qui corpora dijudicat, duo tantùm cognoſcit, nempe quantum ac quale: quantum quidem ut ſenſibile commune, atq; ita corpus naturale à mathematico ſola imaginatione differt: ſenſus enim percipit id eſſe corpus, quod eſt in cauſa, cur latera diſtent: quale verò, puta calidum, frigidum, & cęteras qualitates, quod Ariſtoteles quoq; tertio de anima docet. Sed

ſub-

ſubſtantia, quamvis cætera præcedat, & ut cauſa, & ut ſubjectum quo res ſunt (nam primo Phyſicorum, materia & forma ſunt cauſa omnium eorum quæ ſunt) tamen hoc ratio ſolùm dijudicat, quia ſubſtantia non ſubjicitur judicio ſenſuum. Porrò quòd corpus quãtum differat à naturali ſenſus percipit, quoniam ut diximus, videmus quòd facit ut latera diſtent, quod quanto peculiare eſt, deinde in loco eſſe, ut monet Ariſtoteles quarto phyſicorum, eſſéq; calidum vel frigidum. Senſu igitur cognoſcitur, corpus eſſe quantum, ac quale. Quin & Simplicius in præfatione libri Phyſicorum dixit, idem eſſe corporeum & naturale, quamvis ratione diſtinguantur, & ſcientia naturalis ferè plurima eſt circa corpora & magnitudines, ut ait Ariſtoteles: per corpora intelligens naturalia, & per magnitudines terminos: ſunt enim magnitudines corporis naturalis termini. Quare dicendum eſt, juxta decreta Peripatetica, quòd corpus naturale non poteſt eſſe niſi quantum: quamvis alia ſit ratio ob quam dicatur naturale, & ob quam ſit quantum: danturque duo tantùm corporum genera, unum quod mathematicus abſtrahit à materia, alterũ quod conſtat qualitatibus ſenſilibus, ac magnitudinibus, quod naturale vocatur. Subſtantia verò compoſita, etſi eam intellectus à quantitati-

bus

bus qualitatibusq; ſemotam dignoſcat, tamẽ non eſt actu, ſed aptitudine tantùm, quarum neutrã, nempe nec ſubſtantiam, neq; aptitudinem, ſenſus percipit: corpus verò quantum eſt in actu, licet ejuſmodi imaginatione formare poſſimus, quòd careat qualitatibus. Patet ergo duo tantùm corpora apud Peripateticos reperiri, & tertium illud fictitium eſſe, quod à ratione duntaxat cognoſcitur.

An materia appetitu naturali expetat formam.

Cap. IX.

QUàmplurimis placuit, materiam, quod cognitionis expers ſit, nullam formam deſiderare, quòd nihil appetitioni ſubjiciatur, quod refugiat cognitionem. Deinde inquiunt, ſi materia appeteret formam, ea adepta appetitio deſineret: quandoquidem frueretur ea quam poſſidet, illamque amplecteretur, & ſi deſideraret aliam, puta cùm jã hominis formam induiſſet, minus perfectam appeteret: cùm tamen appetitio ſit ejus quod melius eſt magisque perfectum. Sed huic quæſtioni reſpondendum arbitror, quòd materia prima cùm ſit compoſiti cauſa, unam habitudinem habeat ad id quod per ipſam conſtituitur, quod compoſitum vocamus; & alterum ad formam: nam ad totum habet

rationem partis: ad formam verò, rationem materiæ; ac ad operationes naturæ, ſub qua ratione Phyſicus eam conſiderat.

Porrò materia prima antequam formã recipit, eſt in potẽtia, illaq; privatur, quoniã eſt ens imperfectũ, & ut habet Ariſtoteles octavo Phyſicorũ, imperfectum eſt gratia perfecti: atq; ob id propendet ad formam, tanquã ad ſuam perfectionem: quare per ſuam indeterminationem ac potentiam formam & actum reſpicit, tanquam ſuum terminum ſibi undequaque convenientem, ob quem à natura aut divina providentia eſt cõſtituta, quò mundus ſemper fiat ſemperq; ſit. Sua igitur indeterminatione nullam certam formam ſibi proponit, ſed omnibus ex æquo indiget: Verùm ab agente ad certas formas deſtinatur recipiendas per qualitatum alterationes. Itaque materia appetit eſſe, non tamen magis per hanc formam quàm per aliam, idq́ue ob ſuam potentiam indeterminatam: Verùm habet à privatione ut hoc actu potius quàm illo perficiatur. Quare ut imperfecta appetit perfectionem, tum ut eſt in potentia, tum ut privata perfectione. Atque ut hæc duo nobis ſignificaret Philoſophus, duo poſuit exempla, ad quæ eam comparavit, cùm inquit: ſicut fœmina maſculum deſiderat, & turpe bonum: nam quemadmodum fœmina marem, tan-

tanquam ſuam perfectionem deſiderat: ita materia formam apperit. Cùm verò ſubdit, & turpe bonum, innuit determinatam formam; quoniam turpitudo privationi aſſimilatur, & ut turpitudo certam bonitatem expetit, ita materia utpote certa forma privata particularem formam deſiderat.

Nec tamen ob id mihi objiciatur velim quod philoſophi quidam faciunt, quaſi ita privatio ſuam imperfectionem expeteret: nam natura primùm ſibi proponit perfectionem ac bonum, deinde cùm id nequeat abſolvi, niſi ope privationis, eapropter per privationem appetit, quæ forma adepta deſinit. Ac per privationem corruptibilis eſt, licèt per potentiam, quæ ſemper adeſt ipſi materiæ, ſit æterna: ſua igitur natura cùm ſit imperfecta, nec indeterminata, maximè ad formam propendet: verùm ob privationem magis rapitur ad hanc quàm ad illam.

Nolim tamen interim te ignorare, aliam eſſe appetitionem & propenſionem materiæ nudæ, nondum diſpoſitæ ab agente; & aliam jam diſpoſitæ: nam ut eſt indeterminata ob ſummam ſuam imperfectionem, magnam habet propenſionem: ut verò ab agente diſpoſita eſt, habet impetum ac inclinationem, quam Græci ὁρμὴν καὶ ῥοπὴν appellant, ad certam intederminatamq; formam. Atq; hæc dicitur

materia propinqua ac natura. Quòd si ex me quæras, quî fiat quòd dum possidetur à forma, aliam desiderat? In hac re varii varia adferunt. Siquidem alii ajunt id evenire, ut servetur æterna generatio: nam iccirco opus est ut æterna sit materia, potentia æterna, & appetitio æterna, quæ ratio sumitur à fine. Alii causam cõjiciunt in formæ imperfectionem: nam cùm forma omnis sit finita, ac definitæ perfectionis, nequit infinitam materiæ imperfectionem adæquare: cumque forma non possit illam supplere, iccirco materiam aliam expetit. Quippe si esset forma quæpiam, quæ materiæ appetitum exatiaret, infinita sanè esset: quia suppleret vicem infinitarum formarum ad quas materia propendet. Verùm putarim ego, duas esse præcipuas causas, ob quas in una forma materia contenta non acquiescat, nempe, quòd sit ejus imperfectio incerta ac indeterminata, deinde, quia omnis forma, quæ in materia recipitur, habet contrarium ad quod materia est in potentia: atque ob hoc antè quàm recipiat formam, priori privatur: atque ubi eam admisit à contraria labefactatur & absumitur. Quapropter statuerunt Philosophi duas esse ortus interitusque præcipuas causas: materiam scilicet propter non esse quod habet admixtum, id est propter potentiam, & contrariam formam vel dispositionem,

onem, ob quam à proprio actu deturbatur dejiciturq́;, quamq́; privationem appellant. Et licet quidam asserant nullam esse causam generationis & interitus aliam à materia propter suam indeterminationem, potentiam, & imperfectionem; quòd significent causam intrinsecam: tamen formæ quoq; vel dispositiones causæ sunt, quòd habeant contraria quibus abolentur. Cæterùm hîc Philosophi verba obstare videntur, cùm dicat, quòd substantia non habet contrarium: sed facile est respondere, quia de compositis intellexit, nõ autem de forma, & potissimùm simpliciũ. Et quanquam quantitati non adversatur ut contraria, tamẽ inter se cohęrere nequeunt, suntque ut in scholis loquimur, incompossibiles, quoniam hunc magis quàm illum terminum non asciscit. In materia igitur, (ut redeamus ad id unde deflexit oratio) duæ intelliguntur appetitiones, una ut est imperfecta, & potentia universalis, ac indeterminata; atq; hæc appetitio est ad perfectionẽ & formã. Altera est appetitio certæ determinatæq́; formæ, quã à privatione mutuatur, ob quã propter quasdã dispositiones ad hanc potius quàm ad illã inclinat. Atq; hæc appetitio in materia dicitur naturalis: qua carẽt materiæ artificiales, quòd forma his extrinsecus accedat, non autem è materiæ visceribus per alterationẽ eliciatur:

atq; iccirco latini potentiam artis neutram, vel violentam vocarunt. Verùm materia propinqua quam secundam nominamus, quæ proxima est formæ particulari, facultatem obtinet non modò recipiendi, verùm adest principium quoddam, (quod nonnulli appellant principium activum in materia) quo ad formam propellitur, & impetu quodam cietur. Cujusmodi in elementis visitur, quo movere & locum occupare dicuntur. Cæterùm hunc impetum materia prima non sortitur sua sibi insita vi ac facultate; sed à forma quapiam vel dispositione quam agens naturale illi indidit. Neque hæc appetitio naturalis, ut quispiam fortè existimare possit, est cõjuncta cum cognitione, sed Deus Opt. Max. ad universi tutelam ita prospexit, providitq;, ut per hanc materiæ propensionem rerũ ortus sint naturales, & non violenti. Porrò quòd ait Philos. 2. Physicorum: Si in lignis esset navi factiva, esset in eis naturalis propensio ad navem: id de materia proxima intelligi debet, in qua nõ modò est capacitas & habilitudo ad recipiendũ, verùm etiã impetus ad certã formã. Sed materia remota ac prima dicta, æquali propẽsione ad omnes formas rapitur.

Cæterùm non desunt, qui percontentur, an potentia materiæ sit eadem cum ejus appetitione. Respondent quidam, potentiam

esse

esse ad privationem & formam, appetitum verò ad formam tantùm. Verùm eorum sententiam nunquam probare potuimus, quòd potentia sit qualitas quædam privandi vi prædita, quam privativam dicimus: nam non potest intelligi potentia ad perfectionem, nisi intelligatur absentia perfectionis. In omni enim potentia passiva, ut censet Averroës nono Metaphy. conjuncta est privatio: nisi velimus dicere, materiam primam esse in potentia ad duo contraria, hoc est, ad duas formas contrarias, quarum una alteram excludat: atq; ita ipsum non esse alterius formæ contingeret, mediante præsentia contrariæ formæ, vel dispositionis, quoniam materia perpetuò subjicitur alicui formæ. Proinde hac ratione materia semper est formata & privata: privata quidem ac orbata futura forma, quæ cum præsenti consistere nequit; formata verò per oppositam. Verùm privatio ingreditur rationem materiæ, non pro dispositione ad certam formam, sed pro nō esse. Atque ut rem apertius intelligas, quemadmodum suprà in disputatione de materia docuimus, privatio tria denotat, absentiam formæ, & hoc est ipsum esse materiæ, respectum (ut recepto jam verbo utar) ad certam formam recipiendam, quem accipit materia à generante, alterante, & eam disponente ad hanc

potius quàm ad aliam formam, & tertiò ad illam formam propensionem, quē appetitum nominavimus. Cùm igitur in dubium vocatur, an potentia materiæ sit eadem cum appetitu: dico ratione discrepare, quoniam potentia demolitur perfectionem & actum, nō autem indifferentiam ad privationem & formam. At appetitus notat inclinationem & impetum, primùm ad perfectionem ceu rei imperfectæ finē, deinde ad formam ut cōcausam: materia enim cum forma compositum efficiunt. Quare habitudo ad compositū, est posterior habitudine ad formam, ut ad perfectionem, & quamvis forma sit concausa atq; perfectio, attamen duas patitur rationes. Est itaq; materia sua natura potentia & imperfecta: verùm appetit perfectionem, atq; iccirco ad formam inclinatur, & impetu cietur ceu ad perfectionem ac concausam, cum qua compositum constituit. Verùm materiæ appetitus eò magis augetur, quò magis disponitur ad unam quàm ad alteram formam. Hìs ita explicatis, patet, potentiam materiæ & appetitum differre ratione: licèt non appeteret, nisi esset in potentia, & prius intelligimus materiam esse in potentia, quàm appetere, quoniam appetitus est in potentia. Materia verò artis ad formā est quidem in potentia, sed eā nō appetit, quoniam non est naturalis: quare appelle-

mus

mus eam placet neutram, vel subjectivã. Nec materia illa ad formam propensione rapitur, quoniam non est ejus perfectio nisi externa. Ex quo liquet, duplicem esse materiæ appetitum, unum quem nacta est sua natura, quòd sit potentia omnis forma, atq; à quavis percipi possit, alterum quem habet ut determinatur per dispositiones ab agente, quare magis hanc quàm illam exposcat. Verùm his dictis ingerit se difficultas, num potentia, quam naturalem dicimus, ab appetitu secernatur. Sed dicendum est, haudquaquam distingui, licèt aliquam includat rationem appetitus, quam non explicat naturalis potentia: ea autẽ ratio est, quòd appetitus significet quendam impetum ad formam ac propensionem, quam ὁρμὴν & ῥοπὴν diximus Gręcis appellari, quamvis compositis magis conveniant hęc nomina & entibus in actu: at potentia naturalis notat naturæ imperfectionem, & actus carentiam. Nec in quæstionem revocare oportet, ut jam monuimus, num materiæ appetitus sit cũ cognitione? nam etsi ordo naturæ, ipsiusq; Dei Opt. Max. (quã quidam providentiã vocant) eum voluerit esse materiæ statum ac conditionem, ut semper appetat formam, quò mundi æterna generatio servetur: is tamen haudquaquam appetitus animalis nominabitur, neq; fit cum cognitione. Atq; hęc de appetitu

materiæ hactenus dicta sunt instituto operi satis.

An materia sit principium Individui?

Cap. X.

VIdeo diu anxieq; quæsitum fuisse, quid sit, quo sub eadem specie individua distinguantur ac dirimantur. Et quoniam plerique omnes ad materiam id referunt, icirco hæc quoq; quæstio inter ea quæ de materia controversa perquiri solent, interseritur, eo scilicet consilio, ut omnis materiæ natura hic excutiatur ac explicetur. Sunt quidem in hac re dissentientes variæ sententiæ, quæ tamen si quasi in summam contrahere placeret, tres videri possint. Et primùm in hoc consentiunt plurimi, materiam esse principium unitatis, quam vocant numeralem, verùm non absolutè, sed ut cõplectitur quantitatem, quam appellant signatam: atque ita principium individuationis, ut loquuntur, & unitatis materialis, est materia quanta certa quantitate: atq; hæc est altera pars compositi, quam Aristoteles duodecimo primæ philosophiæ nuncupat materiam, secundum quod videtur.

Hæc sanè sententia haud caret rationibus; nam cùm forma sit fundamentum universa-

lis

lis & communitatis, opus eſt, ut materia obtineat conditiones oppoſitas, nempe ut ſit principium unitatis numeralis & ſingularis. Cui aſtipulantur verba Philoſophi undecimo primæ philoſophiæ, ubi habet ea eſſe unum numero, quorum materia eſt una. Quare ſub eadem ſpecie ſingularia differentiam à materia mutuantur.

Sunt alii, qui totam unitatem referunt ad formam, quòd ſit per ſe indiviſibilis, contenduntq; principium indiviſionis neceſſariò indiviſibilibus convenire; quare à forma omnẽ unitatem promanare, non autem à materia, quòd dividatur, & ex ea omnis continuitas omniſq; diviſio profluat. Itaque à forma orietur diſcretio, unitas, & individualitas. Dixit enim Philoſo. 7. Metaph. & 3. Phyſ. terminare eſſe formę. Porrò autem per quod res habet eſſentiam & eſſe, per id habet & unitatem: ſed habet eſſe per formam: ergo & unitas à forma proficiſcitur. Præterea divinæ mẽtes ſunt formæ, & nequaquam ſunt materiæ participes, nec dividi poſſunt: & tamen quælibet in ſua ſpecie eſt una: ergo ad unitatem comparandam ſufficit forma. Eſt poſtremò præter has & tertia quædam opinio, quòd unitas numeralis à quãtitate ortum ducat, quæ nec ipſa caret ratione, verbiſque philoſophi: nam unitas numeralis ex diviſione continui

proficiſcitur, igitur neceſſe eſt eſſe quantum: habet enim Philoſophus tertio Phyſicorum, numerum oriri ex diviſione continui. Atque hæ ſunt aliorum ſententiæ. Verùm ut omnis dirimatur controverſia commiſſa diſputatione de unitate, quod de ea ſatis ſuperq; annis elapſis diſſeruimus, primùm ſcire oportet, quid differat unitas & unum: unitas ergo, rationem: & unum, rem unā denotat, quæ quidem neceſſariò eſt ſubſtantia. Porrò cùm dicimus unum numero, ſignificamus ſubſtantiam in materia quanta: quòd ſi quis quærat, unde oriatur unitas: profectò in promptu cauſa eſt, quòd à forma proveniat. Verùm cùm loquamur de unitate numerali, duo ſunt animadvertenda, primùm unitas, deinde numerus: ac per unitatem, indiviſio: per numerū verò, quantitas ſignificatur. Quare cùm quæritur de unitate numerali, perinde eſt ac ſi quæratur de unitate in quantitate, quod idem eſt ac ſi dicas, unum quantum, & indiviſibile quantum. Sed cùm quantitas è materia ſuum ortum habeat, neceſſe eſt ut intelligamus, cùm dicimus unum numero, unum in materia. Quare quæſtio hæc non eſt de uno abſolutè, nec de continuo (continuum enim unum quoq; eſt, ut patet apud Ariſt. quinto Metaphy. cap. de uno) ſed de uño quod eſt in quanto diſcreto, quod conſtat materia & for-

ma:

ma: hæ nanque ſunt partes naturalis corporis, ſiquidem ex materia & forma omnium Philoſophorum conſenſu formatur ſubſtantia ac natura rei. Nec imaginari licet hoc unum eſſe penitus indiviſibile, cùm ſit quantum, & diviſionis capax: niſi quatenus in plura individua ejuſdem rationis dividi nequit, nam homo in plures homines dividi non poteſt: attamen id unum diviſibile eſt in plures partes. Nullum igitur cõpoſitum & ex materia ac forma coagmentatum, penitus eſt impartibile, nec omnino unum, ſed eſt unum numero, hoc eſt indiviſibile in plura ſub eadem ſpecie.

Cæterùm nolim cogites hoc unum numero in materia tantùm noſtra, quam primò dicimus reperiri: nam corpora cœleſtia quæ à materia prima immunia ſunt, dicuntur eſſe octo, adeò, ut orbes patiantur diviſionem numeralem, quòd ſint quanta, & habeant ſubjecta: licèt dicantur materiæ ſimplices ab Averroë, quæ carent materia prima: neq; corpora cœleſtia multiplicantur in ſpecie, quãvis Aſtronomi unum cœlũ ex multis orbibus cõflari aſſerant, neq; eſſe ejuſdẽ ſpeciei: ita enim ſoli, & cæteris planetis plures orbes tribuunt: quanquã intelligentiæ unum finẽ ſibi proponunt, traduntq; operas mutuas. Verùm nõ eſt opus in pręſentia latius divagari, quomodo in

cor-

corporibus cœlestibus unitas numeralis sit intelligenda: satis enim est ut de his disseramus, quæ lunæ subjiciuntur, & materiam primam complectuntur: de quibus quæritur, cùm composita sint ex materia & forma naturali, utrius horum principiorum ope sint una numero. Dicimus ergo nos, quòd cùm materia sit causa multitudinis sub eadem specie, & præter eam forma, propter similitudinem cum aliis formis, intellectus ex hac similitudine unum colligit, & facit unam, ut loquimur, intentionem, quæ cum pluribus communicari potest, & de pluribus prædicari. A materia ergo sub eadem specie oritur multitudo, & à forma communitas prædicabilis; quare videtur, quòd nec à forma, nec à materia unitas numeralis, vel unum numero proficiscatur: quia neutrum horum principiorum potest esse causa naturalis oppositorũ. Cumq; individuum numero & multiplicitas sint opposita sub eadem specie: materia nequit esse duorum oppositorum, multiplicitatis scilicet, & indivisionis, multoq; minus forma, cùm sit fundamentum universalis. Igitur opus est ut à duobus principiis hæc unitas numeralis nascatur: puta à forma, unitas; & à materia, numerus: magis tamen præcipuè unitas à forma procedit, quoniam dividit materiam, & per formam compositum est actu
unum

unum individuum, ac singulare: quòd verò sit numerabile, hoc habet à forma in materia. Porrò cùm Philosophi ajunt, unitatem à materia oriri, de eo quod est numero unum intelligi debet: nam hæc unitas in materia tantùm reperiri potest. Rursus cùm alii dixerunt quòd à forma oriatur, intellexerunt ut est indivisibile, sic qui affirmarunt quantitatem esse unitatis causam, intelligunt de uno numero, quod in se concludit quantitatem, cumq; quantitas à materia ortum habeat, posteriores ajunt à materia quanta signata proficisci, quæ inter partes numeri facit divisionem. Agens ergo tanquam principium ac causa, interveniente forma, quam à materia extrahit, dividit materiam, quæ formæ substernitur secernenti distinguentique partes: proinde à materia provenit numerus, à forma verò unitas, atq; ita unum numero à materia ac forma originem trahit, à forma quidem ut causa intrinseca determinante materiam: à materia autem suppeditante multitudinem. Ipsa enim gratia formę multiplicatur, hoc est, dividitur & sejungitur. Atque iccirco semper monere soliti sumus dicendum esse, materiam causam esse multitudinis, & ut dicunt nostri multiplicationis, & formam in materia esse eam quæ faciat unum numero, quod materiam determinet. Verùm hæc u-

uitas

nitas appellatur numeralis, ut est forma in materia, à qua sanè materia numerus oritur. Quæ si ita intelligantur, facilè, ni fallor, omnes difficultates diluentur, Aristotelisque verba, quæ sibi invicem adversari videntur, conciliabuntur. Cæterùm non est dissimulanda haudquaquam levis dubitatio, cùm per materiam nonnunquam Philosophus intelligat partes materiales, quæ sensu percipitur, ut videre est duodecimo primæ philosophiæ: sitq; præter eam materiam altera, quam primam vocamus: de utra materia ea quæ suprà explicavimus sunt intelligenda. Cui satisfaciendũ est, quòd hæc inferiora nequeunt habere partes materiales, quæ sensui objiciãtur, nisi habeant materiam primam, nec per materiam primam modò aliud intelligimus, nisi corpus, vel aliquod corpore naturali cõstans. Per materiã ergo ea intelligi debet, quæ substernitur formæ, quæq; disposita est, subjectũ est determinatæ formæ: non autem ea, quæ nuda est. Partes verò materiales sunt illæ, quæ significant materiam simul, & corpus, quæ sensu percipiuntur. Quare superior quæstio intelligitur de materia, quæ recipit formam, quæ in animalibus & viventibus omnibus sensui innotescit. In elementis autem quasi ratione cognoscitur, quoniã quandiu propriam suam naturam obtinent, nõ est

sen-

ſenſibilis. Sunt tamen elementa una numero in quantitate, & materia: nam ratio id ita judicat, quòd habeant formam in materia, ut jam ſatis ſuprà diximus. Ex his conficitur, quòd quæ in eadem ſpecie ſunt plura, ea conſtent forma in materia, quemadmodum Ariſtot. quoq; infert duodecimo primæ Philoſophiæ, ubi habet, quòd ſi primi motores eſſent plures, haberent materiam: cùm multitudo ſit propter materiam: conſtat ergo, quòd materia ſit principium, quare in eadem ſpecie plura numero reperiantur: ſitq; cauſa multitudinis, & quam dicunt multiplicationis. Eorum verò quæ obtinent materiam totam, ceu mundus, individuum unum eſt in ſua ſpecie.

Cæterùm ſcire licet, latere hîc æquivocationẽ in nomine materiæ, nam materia mundi ſunt quatuor ſimplicia corpora, formaque ejus eſt cœlum, ipſa autem virtutis continuitas nihil aliud eſt niſi nexus vinculumque horum corporum, quo ſuperiora cum inferioribus nectuntur: neq; eſt, ut Aſtronomi aſſerunt, influentia, ſed ea quam dixi virtus, quæ à lumine & motu inferioribus pręſtatur, quaque in ſuis operibus ordinatur, veluti Alexander primo Meteor. teſtatur. Hinc liquere poteſt, quòd quando ait materiam eſſe principium individui, & quando formam, nihil quod ſecum pugnet protuliſſe; cùm cauſa uni-

tatis

tatis ſit forma, quæ eſt cauſa eſſendi & actus, licet cauſa unitatis numeralis ſola forma eſſe nequeat, niſi ſubſiſtat in aliqua materiæ portione. Cùm verò poſuit quantitatem eſſe individuorum principium, intellexit quòd corpora ut ſunt quanta, inter ſe diſtinguuntur & ſecernuntur: nã illud dicitur propriè unum, quod eſt corpus & quantum. Verùm formæ abſolutæ per ſimilitudinem una & plures numero dicuntur: nam quamvis ſint multæ vel una eſſentia, non tamen unum numero in ipſis locum habet. At ſpecies in medio ſenſiles, prout in medio ſunt, vel in organo, quòd materiam habere videntur, ſunt plures numero: vel dicere poſſumus illas eſſe plures numero repræſentativè, ut ita loquar: quia præ ſe ferunt & repræſentant plura corpora numero diſcreta. Nec abſurdum eſt dicere, quòd forma ſit fundamentum univerſalitatis, & ſit cauſa individui. Sunt enim in forma duæ rationes, quæ ad diverſa habent habitudinem, nempe ad intellectum, & dicitur habitudo univerſalis, quoniam intellectus eſt qui facit univerſalitatem, tribuitque formis, ut cũ pluribus cõmunicentur: ut verò informat materiam, eſt cauſa unius numero, ejuſque principium. Quibus ſic conſtitutis, patent Averrois, & eorum qui ipſum ſectantur ineptię, quas effutiunt de intellectus unitate,

quòd

quòd unamet forma, quæ non est una numero, sed una essentia, sub eadem ratione competit intellectui sub specie humana, & singulis individuis ejusdem speciei, atq; ita unamet forma pluribus communicatur, & uni: uni quidem speciei, & pluribus individuis ejusdem rationis, quod in Philosophia Aristotelica est execrandum, quòd omnis communitas fiat ab intellectu. Nec una res potest esse una, & pluribus communicari à se ipsa, ut ratio & forma: licèt non esset inconveniens, si sub ratione motoris intelligerent, quemadmodum sol multis oculis communicatur ut agens & ut lumen, & oculi Petri vel Joannis moveri nō possunt à sole, ut adæquata solis mobilia, ut utar illorum verbis: nam corpora cœlestia sunt communia omnibus sublunaribus, quoniam sunt omnes quædam formæ omnium inferiorum ea alterātes. Habes igitur hæc secum invicem non pugnare, esse individua per formam in materia, & esse à materia. Cùm enim dicitur materiam esse causam individui, hoc intelligitur, ut comparatur cum forma quæ per intellectum comprehenditur, cùm sit fundamentum universalis: cùm verò formam, intelligitur de forma in materia. Est enim actus & principium essendi forma, & unitatis, quæ consequitur ipsum esse materiale, ipsaq; unitas quæ con-

ſequitur ipſum eſſe materiale, nihil aliud eſt quàm forma participata à materia, quæ quidem unitas non dicitur ſimpliciter & verè unitas, quoniam in plures partes dividi poteſt: vera nanque unitas eſt eſſentialis, quæ ſimpliciter eſt indiviſibilis, & quantò magis à materia abſtrahitur, eò eſt minus diviſibilis. Atq; hæc prout breviter explicari potuerunt, ſatis ſint de principio individui.

An materia ſit pars, ut Latini loquuntur, quiditatis?

Cap. XI.

QUamvis hanc quæſtionem & Logici & Metaphyſici tractent, tamen ut omnis de materia tractatio abſolvatur, libuit eã huic loco inſerere. Habet Philoſophus primo de anima controverſiam eſſe inter Phyſicum & Logicum in definitione: Logicus enim per formã definit, Phyſicus verò per materiam. Diſſentiunt tamen Philoſophi & Ariſtoteles inter ſe, cùm ſeptimo primæ Philoſophiæ dictum ſit, formam explicare definitionem: & Themiſtius ac Simplicius ſequuti ſunt hanc opinionem. Ut igitur res intelligatur, ſciendum, quòd quiditas uno modo accipitur, prout ſignificat quid, & hac ratione per omne genus cauſæ poſſumus reddere quid: cum-

cumq; res naturales habeant quatuor causas, cui Averroës quoq; astipulatur secundo Physicorum, cùm inquit; omne quod movetur quatuor habet causas: quatuor modis poterit explicari ipsum quid. Alio verò modo quiditas propriè & pressiùs sumitur pro forma, ac definitione, quæ formam explicat, vicem ac rationem formæ subit & finis, & ut à forma prodeunt opera, agentis rationem sortitur. Cùm igitur à forma & materia & compositum habeat esse in actu, & hoc quod dividi non possit, cùmque definitio sumatur ex principiis quæ in ente reperiuntur, inter quæ cùm præcipua sit forma, jure definitio à forma sumitur, ipsamque explicat: ipsa deinde individua definitionem participare videntur, prout illam rationem subeunt, ac formam participant. Verùm cùm forma consideratur quemadmodum Naturalis eam contemplatur, necessaria est materia, tum propter formam, quia modus essendi formæ est in materia: tum propter compositum, cùm sit pars substantiæ compositæ, sed quia ejus finis est à forma, tota ratio à forma sumitur. Hinc intelligis, quare dixerunt definitionem esse formæ, & qua ratione Naturalis in definitione sumit materiam, quòd formæ naturales in materia habeant esse, atque iccirco Naturalis in suis definitionibus

debet accipere materiam pro parte, cùm forma ipsius ut materiæ comparatur, à naturali intelligatur, quia habitudinem ad materiam velut ad terminum intelligit. Ad dubitationem respondendum, quòd si per quiditatem definitio intelligitur, oportet materiam partem quiditatis esse, si verò propriè intelligitur, forma est pars quiditatis, & matèria ut deferens formam, & sub hac ratione materia dicitur natura, quia defert naturam, quia nomen naturæ de perfectiori dicitur, ut docet Averroes quinto primæ Philosophiæ, cap. de natura: atq; ita omnes opiniones conciliantur, nam quiditas secundum unam rationem idem est quod compositum: at si capitur quiditas ut pars, non est compositum. Materia ergo est pars substantiæ, & est pars definitionis naturalis, cùm Aristoteles septimo primæ Philosophiæ dicat, sine carnibus & ossibus, haud possumus intelligere hominem, nec definitiones naturales dicuntur, quemadmodum accidentium rationes per materiam veluti per adjectionem suæ naturæ: quoniam definitiones quæ conveniunt accidentibus conveniunt simplicibus; quoniam accidentia non componuntur ex materia, veluti ex parte intrinseca, quemadmodum composita naturalia, atque ita non additur materia in definitionibus naturalibus substantiarum, cùm

cùm ſit pars compoſiti, & forma ſit in materia; nec poteſt forma intelligi, niſi hac habitudine ad materiam intellecta; nam ſi non intelligeretur, non eſſet naturalis ratio, ſed Dialectica, ac Metaphyſica, & univerſalis, quia non comprehenderetur eſſendi ratio.

Nolo tamen te ignorare, rem naturalem non modò à naturali cognoſci, verùm etiam à mathematico, ut eſt quantitas ac figura: ſimiliter & res mathematica modo naturali cognoſcitur: ſic enim linea & ſuperficies, ut ſunt corporum naturalium, conſiderantur. Quare dicitur ſecundo Phyſicorum, quòd multæ res quæ conſiderantur à mathematico, ſunt idem quod res naturales. Verùm diverſa ratione, quia res mathematicæ re non ſejunguntur à naturalibus, ſed ratione tantùm, & modo intelligendi: & intelliguntur cum non ſenſibili materia, quoniam nullam ſibi peculiarē aſciſcunt, ut eſt quantitas & figura. Formæ aliæ naturales quæ materiam aſſumunt, ratione logica ſine materiis intelliguntur, quæ non eſt ratio, quæ perfectam rei naturam explicet. Quod tamen eſt neceſſarium in Phyſica, cùm ſit ſcientia de natura in qua oportet materiam & formam intelligere ſimul. Quòd ſi latini formas naturales abſtrahere videntur, tunc non intelligunt illas ut naturales, ſed ut ſubſtantias, ac entia,

& cum differentiis quæ competunt entibus, ut entia ſunt, & ſubſtantiis. Atque ut omnis ambiguitas tollatur, intelligi debet de materia quæ ſubeſt formæ, & propria, quæ huic formæ ſubjicitur, & non alteri. Quærunt tamen de communi definitione hominis, quæ eſt animal rationale mortale, an ea ſit Phyſica, vel ex prima Philoſophia petita. Qui Platonem ſequuntur, & dæmones ac intelligentias animalia eſſe aſſerunt, debēt dicere hanc definitionem eſſe primæ Philoſophiæ, quia in ea nulla explicatur materia. At Peripateticus qui Ariſtotelem ſectatur, debet per animal intelligere materiam, quòd animal ſit ſubſtantia ſenſu prædita: cui rationale veluti differentia additur & mortale, ut ab orbibus diſtinguat, quos Ariſtoteles animalia eſſe cenſet. Et rationem quam libro duodecimo primæ Philoſophiæ proponit, Deum eſſe animal, multis pro cœlo intelligi debere placuit: verùm ſi eam de Deo, ut eſt ſubſtantia ſimplex & abſolutè intelligere velimus, neceſſe eſt ut animal pro anima accipiamus: vel æquivocè, & non univocè dici, quod multis arriſit. Cui accedit opinio Alexandri, qui ait, quòd ſi ratio, quam hæc definitio explicat, à materia proficiſceretur, omnino materiam concerneret contineretque. Et licèt materia non habet unde cognoſcatur, niſi à forma:

ma: tamen ut forma habet in materia ſuum eſſe, utq́ue terminat hanc habitudinem perfectè ejus notitiam intellectus ſumit. Nec de materia prima ac nuda, ſed de propria, quæ ſenſu cernitur, verba Ariſtotelis ſunt intelligenda, ut ipſemet Philoſophus duodecimo primæ Philoſophiæ monet. Atque ita huic quæſtioni, quam latini prolixiſſimis verbis tractant, ſimulq́; priori huic libro finis imponatur.





SIMONIS PORTII DE RERUM NATURALIUM PRINCIPIIS LIBER SECUNDUS,

An forma sit substantia, & an Aristotelis rationes probari possint, reperiri formam substantiæ?

CAPUT I.



Um Aristoteles substantiam de tribus dici asserat, de materia, forma, & quod ex his constare videtur, composito naturali; de materia quidem, ut substernitur contrariis, eaque recipit: de forma verò, ut qua composita habent esse simpliciter, habentque nomen ac definitionem: & postremò de composito, ut per se existit, & ex illis conflatur, quod etiam propriè ac primò dicitur substantia omnibus conspicua, perscrutandum est, an tria substantiarum genera inveniri contingat. Antiquiores duas tantùm substantias probarunt (cætera enim omnia accidentia esse dicebant) materiam inquam & compositum, quod etiam nomine materiæ ac subjecti nuncupatur: nam for-

mam

mam, quod alteri insit, eiq; accidere videatur, accidens esse dixerunt. Verùm cùm accidens aliud sit separabile, aliud minimè: & id affirmarunt esse separabile accidens, quod possit adesse & abesse subjecto non mutato, nisi in dispositionibus: inseparabile verò, quod adest & abest à subjecto cũ corruptione: quemadmodum simitas, quæ à naso non potest abesse, nisi cum mutatione & corruptione subjecti. Hoc accidens Peripatetici vocarunt formam substantiæ, antiqui autem qualitatem materiæ, quæ materia tantùm erat substantia, & per eam composita. Cæterùm rationes Aristotelis, quibus hanc opinionem redarguit, iis quidem, qui principiis ejus non sunt addicti, nihil videntur demonstrare: nam ut omnes percurramus, primùm quod de elementis dicitur, ea ut corpora substantias esse, ne antiqui quidem negarunt: at à materia est corpus. Sic nec aliquis elementorum motus, formas ut substantias dicamus esse cogit, non motus in loco, cùm is per accidens intermedium perficiatur, puta gravitatem, & levitatem. Raritas autem & densitas sunt materiæ affectiones: & calidum & frigidum sunt elementorum primæ qualitates: & durum ac molle, asperũ ac leve, primas insequuntur. Porrò in inanimatis, puta metallis, primorum corporum mixtio, & for-

ma propria, quæ nihil aliud est quàm complexio, illorumque temperamentum quo inter se distant. Aliud enim est temperamentum auri & argenti, & aliud aëris, quo nomen ac definitionem nanscifcuntur. In plantis autem est mixtio corporum, & earum vita est temperamentum, quo nutriuntur, crescunt, & generant. Nutriuntur sanè corporeo, puta terra, quæ abit & transit in mixtionem, ex qua gignitur crasis earumque temperamentum. Augentur adhæc calido, quo etiam oriuntur, & vivunt, occiduntq;, ejus defecta. At verò animalia rationis expertia, forma propria est sensus, quæ est temperies quædã qualitatum, & in hoc differunt à plantis, quòd non declinant ad siccum: siccitas enim retundit organum sensus tactus, quo animal est animal, & in hoc cum antiquis consentit. Sunt & alia sensus opera quæ intus excercentur, ut est imaginatio, quam non esse substantiam affirmarunt, quòd anima animæque facultates nihil aliud erant nisi temperamentum: quod etiam Hippocrati & Galeno, cæterisque Medicis quàmplurimis visum est. Est & ratio, quæ nec ipsa est substantia, quoniam intelligere & velle haudquaquam à substantia oritur, sed à nobilissimo, perfectissimoque temperamento. Et huic sententiæ Alexander quoque astipulatur.

Sunt

Sunt tamen rationes quædam, quæ eam opinionem tutari videntur. Primùm partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantia: igitur forma cùm ſit pars ſubſtantiæ, eſt ſubſtantia. Adhæc id quod mutationem & definitionem rei, eſt ſubſtantia: ſed per abſentiam formæ, mutatur nomen & definitio: Igitur forma eſt ſubſtantia. Rurſus, quod terminat generationem ſimpliciter, eſt ſubſtantia; ſed forma terminat generationem ſimpliciter: igitur forma eſt ſubſtantia. Sed hæ rationes, mea quidem ſententia, leviculæ ſunt, quare primam ita demoliri licet, cùm forma ſit pars ſecundum qualitatem, quæ ſecundum antiquos non infert ſubſtantiam, quia generans non dat multitudinem, ſed perfectionem, quę qualitas dicitur: quin & Ariſtoteles quinto primæ Philoſophiæ, differentiam qualitatem appellat: non igitur per hoc, quòd ſi pars infertur, quòd ſit ſubſtantia, ſed quòd ſit qualitas ſubſtantiæ: ſola igitur materia, quæ eſt pars ſubſtantiæ, dicitur ſubſtantia, quæ quidem materia per hanc qualitatem mutat nomen & definitionem: & dicitur generatio ſimpliciter, quoniam adveniente hac qualitate in materia compoſitum perficitur, & fit actu, homo puta, & actu caro, cùm antea eſſet potentia, quæ tantùm erat materia, & per hunc actum perficitur, fitq; ſpecies.

Cæ-

Cæterùm ea, quę nos adferre ſolemus, magis, ni fallor, urgent, quàm rationes quæ ab Ariſtotele ſumuntur: ac primùm quòd homo eſſet aggregatum per accidens ex ſubſtantia & qualitate. Deinde non daretur quid propriè, ſed ſolùm eſſet quantum per quale. Adhæc cùm materia ſit ſubſtantia, & res perficiantur ab eodem genere, oportet formam eſſe ejuſdem generis. Verùm juxta antiquorum principia hæc quoque eo quo diximus modo diſſolvuntur: nam qualitates hæ inſeparabiles ſunt in materia habitus, & non diſpoſitiones: Cætera verò accidentia, quæ poſſunt adeſſe & abeſſe, ſunt materiæ diſpoſitiones. Præterea animadvertendum eſt ex antiquorum ſententia, à materia ſumi genus: & ab his inſeparabilibus qualitatibus differentias, quibus genus contrahitur, atque ſpecies conſtituitur: & hac ratione ab his ſumitur quid & definitio. Et cùm dicitur quòd homo eſſet aggregatum per accidens, quia eſſet res diverſorum generum. Reſpondeo, quòd quædam qualitates habent modum ſubſtātię, cùm ſint inſeparabiles: quippe quæ, niſi cum interitu compoſiti, ſeparari nequeunt: ut anima à ſubjecto haud ſejungitur, ſed deſinit eſſe, eaq; intereunte, occidit quoq; compoſitum, per eandem enim rationē, per quam cōpoſitum accipit ſpeciem & perfectionem, occiden-

dente pereunteq; ſpecie, compoſitum etiam evaneſcit. Quædam contrà ſunt qualitates, quæ non notant modum ſubſtantiæ, ſed ſunt accidentia, quæ abſque ſubjecti interitu adſunt & abſunt, atque hæ cum ſubjecto faciunt congeriem per accidens, quod non accidit in ſuperioribus, quia illæ quod habent modum ſubſtantiæ, non coagmentant, neq; conſtituunt compoſitum per accidens. Nulla ergo forma eſt ſubſtantia, ſed quædam obtinet modum ſubſtantiæ, quia per ejus adventum compoſitum ſpecificatur, ut ita dicam, & perficitur. Quare hoc pacto ſuperius adductas rationes evertere licet: neque illa ratio formari poteſt, quæ demonſtret formas eſſe ſubſtantias, ſed tantummodo, idque poſitis Ariſt. principiis probabiliter perſuadent.

Atque hinc alia quæſtio dilui poteſt, qua vocatur in dubium, num magis ſit ſubſtantiæ compoſitum, quàm forma? nam ſi per ſubſtantiam intelligimus, quam Græci vocant ὕπαρξιν, quæ de nullo dicitur, ſed omnibus ſubeſt, ac per ſe exiſtit: compoſitum ac materia erit magis ſubſtantia quàm forma. Si verò per ſubſtantiam intelligimus eſſentiam, quam vocat Quintilianus, vel quam Cicero dicit naturam, & Græci ὐσίαν, quæ eſt ratio eſſendi in certa ac determinata ſpecie, quæ à forma oritur; forma ſanè erit magis ſubſtantia,

tia, quàm materia ac compositum, quia est horum esse causa: nam compositum ac materia mutuantur suum esse à forma, atq; ita censet Philosophus septimo primæ philosophiæ. Attamen in prædicamentis primam ac pręcipuam substantiam facit compositum, atq; ad hanc magis accedit species quàm genus. Quare species magis dicuntur substantia quàm genera: quod propter Platonicos dicitur, qui formas & ideas priores ac nobiliores substantias esse asseverabant. Sed ab illis dissentit Aristoteles, qui compositum præcipuas facit substantias: nã formæ abstractæ, quas genera & species appellat, etsi nobilius esse obtineant, habent tamen esse tenuissimum, utpote in intellectu: non autem obtinent esse lapidis vel ligni, perfectius enim esse est ligni compositi, quàm quod est in mente, licèt aliter cuipiã videri possit, & quod sit in mente nobilius & præstantius haberi. Non est igitur dicendum hoc esse in mente esse præstabilius ligno in re, quemadmodum medici de sanitate sentiunt: eadẽ enim sanitas est in mente, & in re, tamen ea quæ est in re, vera dicitur sanitas; ea verò quæ est in mente, etsi obtineat esse nobilius, non tamen vera & absoluta sanitas nuncupatur. Eodem modo se res habet in ideis, quæ etiamsi possideant nobiliorem essendi modum in intellectu divino,

no, & in intellectibus nostris, atq; æternis rationibus, verius tamen esse est in materia. Atque ita huic quæstioni satisfactum est.

De natura, quid sit.

CAPUT II.

NOn me latet, quàm obscuram & senticosam Naturę rationem nobis significarit potius Aristoteles secundo Physi. libro, quàm apertè explicarit. Proinde Joannes Grammaticus eum insufficiẽtiæ arguit, quòd Naturæ definitionem posuerit, neq; docuerit quid sit, quasi ex opere, quod proponit, id cognoscere possimus. Simplicius quoque materiam absoluto nomine naturam dici negat, ut & formam, & compositum: asseritque nihil aliud esse quàm propensionem quampiam ad formam recipiendam, quòd de forma in formã mutentur. Sic nec formam propriè dici naturã, quòd potius sit ens naturale, quàm natura vocanda. Est tamen forma magis natura, quàm materia: quia præbet facultatem ac impetum, determinatque materiam, quæ est indefinita, ad certam propensionem, quin & ut ipsa est in materia, & agendo & patiendo inclinat. Verùm quòd propensio materiæ sit ad formã substantiæ, est aliquo modo prior natura materiæ, quàm sit forma

ma ſubſtantiæ, quamvis forma cùm ſit cauſa quare compoſitum ſit in actu, & eſſendi ac determinationis principium, verius obtineat nomen naturæ quàm materiæ. Atque nonnulli dixerunt, materiam eſſe naturam per accidens; quoniam, ut inquit Averroës, eſt natura, quatenus ſubſternitur formæ, illamque defert.

Cæterùm vertitur in dubium, cùm natura, quam Ariſtoteles hìc deſcribit, ſit nomen latiſſimum, utrum includat naturam cœli, quæ eſt ejus intelligentia, an formam tantùm ortui interituiq; obnoxiam. Plura ſunt quæ videntur perſuadere, ejus definitionem haudquaquam convenire cœlo: quod Ariſtoteles libro primo de partibus animalium à ratione naturæ demat intellectum, ubi, ut multi ſentiunt, loquitur de intellectu potẽtia. Ad hæc quæritur, an complectatur animam, quæ naturæ opponitur, quòd agat per cognitionem. Poſthæc, an in ea appetitus materiæ comprehendatur. Deinde, an hæc ratio naturæ ſit communis cœlo, & his inferioribus, ut videtur Joannes Grammaticus aſſeverare. Deniq;, utrum accidens, cùm ſit principium motus, puta gravitas, levitas, calidum, frigidum, & reliqua, poſſint dici natura. Atque ut hoc tanquam auctarium accedat, cùm naturę nomen ſit ambiguum, & aliquando in recto caſu proferatur,

feratur, sępius in obliquo, dubitatur an idem utroq; modo significet, & an denotet habitudinem, vel sit nomen absolutum. Hæc sunt quæ de natura, prout describitur ab Aristotele, in dubium vocari possunt. Quos modos ut dissolvamus, primùm dicimus, quòd nomen naturę per similitudinem adaptatur corporibus cœlestibus atque intelligentiis, quoniam hæc inferiora judicio sensus subjiciuntur, illa verò nequaquam, & quanquam illa sunt re priora, atq; ita natura de ipsis primùm dici debeat: non tamen priora sunt quoad nostram intelligendi rationem, non secus quàm materia per similitudinem ac proportionem dicitur de materia cœli atq; hac nostra: licèt illa non patiatur eam rationem quam nostra: quoniam hæc est subjectum omnium mutationum, diciturque verè materia, utpote quæ vicissim potest omnes formas complecti. Illa verò potius est subjectum quàm materia, quia substernitur motui, & est ens in actu, neq; est in potentia ad aliam formam, quia non est in potentia ad esse, sed ad ubi, ut dicunt, & ad motum tantùm. Non igitur ratio Grammatici aliquid probat: quoniã definitiones, quas Aristoteles in Physicis tradit, sunt universales, & conveniunt cœlo, quoniam definitum competit illi secundum similitudinem. Sed alia est illa, & alia est hæc natura, sicut alia sunt

corpora: quoniam ut Averroes docet decimo Metaph. corpus eſt æquivocum cœleſtibus & inferioribus, itaque illa & hæc tantùm nomine & ſimilitudine conveniunt. Porrò Natura quæ hìc deſcribitur ſecundo ſcilicet libro, eſt materia & forma rerum generabilium & corruptibilium, vel habitudo materiæ & formæ noſtræ, ſic cum intelligentias nominat elemēta, ut duodecimo primæ Philoſophiæ, vocat ita per ſimilitudinem horum inferiorum. Ita quoq; quod de ſenſibus Platonici ſenſerunt, intelligi debet, eſt enim in cœlo tenuis ſenſuum ſimilitudo, neque eſt imaginatio, licèt id Avicenna ſenſerit.

Nec tibi perſuadeas, propterea, quòd excludat intellectum illum eſſe æternum, nam iccirco potius excluditur, quòd ſit primum ac proximum, medioque carens motus principium, utitur enim inſtrumento, ut diximus in libro de mēte humana, appetitu ſenſitivo, & principio motivo, quod adhæret organis, ut ipſe quoq; ſentire videtur Grammaticus. Alibi nihilominus intellectum appellat naturā, quatenus ſcilicet eſt principium activum tum intelligendi, tum multarum functionū, nempe ut eſt facultas animæ humanæ, quę eſt in materia, id eſt adfixa organis, & ſecundum ſenſum ac nutritivā potentiam eſt virtus organica, etſi non ſecundum intellectum, propter

pter quem dicitur ſeparatus à materia, hoc eſt ab organo, licèt hic intellectus ſit facultas animæ, quæ à materia ortum habeat, moveaturq; objecto corporeo, veluti jã docuimus. Atqui à Philoſophis interdum intellectus dicitur natura, quòd ſit principium activum, & facultas hominis intrinſeca: verùm ea quæ nos attulimus, cum Philoſopho conſentire; ea verò quæ Joannes Grammaticus & Simplicius comminiſcuntur, ab eo abhorrere, ex ipſiſmet Ariſtotelis verbis abundè colliges. Itaque ſcire licet, eam materiam ac formam naturam nominare Philoſophum, quam primo libro inveſtigandam ſibi propoſuit: ea autem eſt materia quæ rebus caducis ſubjicitur, & forma cui opponitur privatio, quæq; ſuum eſſe obtinet in materia, quare de materia ac forma agit, quæ ſunt partes ſingularis individui, ac oriuntur & occidunt. Ita quod ſatis Ariſtoteles teſtatur in ſecundo Phyſicorũ, cùm ſemper dicat naturam eſſe in ſubjecto, quę eſt rerum corruptibilium natura. Prẹterea, ſi materia, quam deſcripſit primo libro Phyſicorum, non eſt cõmunis cœlo & ſublunaribus, neq; natura communis erit, cùm æqua ſit amplitudo materiæ, formæ, ac naturæ. Adhæc Ariſtoteles proponit cognitionem rerũ naturaliũ, quæ à non naturalib. per naturã differũt. Sed entia naturalia omnia ſunt corrupti-

oni ſubdita, præterquàm cœlum, quod eſt mundi forma: igitur generabiliũ & corruptibilium naturam docet, ac deſcribit. Deinde, illam naturam tradit, qua effectus naturales à non naturalibus diſtinguuntur, ſed illorum effectuum naturam voluit eſſe principium, cùm inquit: Quædam eſſe à natura, quædam propter alias cauſas. Igitur deſcripſit naturam quæ in effectibus naturalibus perſpicitur, quod non eſt cœlum, nec intelligentia. Atq; iccirco quoque Ariſtoteles Deum à natura ſejunxit, cùm ait: Deus & natura nihil fruſtra faciunt: nam cauſa cœli ſunt dii, ſublunarium verò, eſt natura. Poſtremò, cùm natura ſit principium motus & quietis, quies autem & ſtatus, ſit finis motus, (motum enim propter ſtatum fieri dicimus) cumque cœlum ſemper ſit in motu & in fine, nam hæc duo, eſſe in motu, & in fine, ſoli cœlo conveniunt: entia quippe corruptioni obnoxia dum moventur, non ſunt in fine, ſed finem ſibi proponunt, eumque appetunt: profectò de natura corporis cœleſtis nulla hìc poteſt fieri mentio.

Nec te moveat illorum commentum, qui conjunctionem, & per disjunctionem exponunt, interpretantes motus vel quietis: quòd hoc perridiculum ſit, quippe cùm ſenſu percipiamus res naturales motum & quietem

ha-

habere. Et licèt terra videatur penitus immobilis, attamen partes ejus multis mutationibus moveri videntur. His accedit, quòd mundi ſtatum atque diſpoſitionem in tria partiatur Philoſophus octavo Phyſicorum: in ea quæ ſemper moventur, quod eſt cœlum: in ea quæ ſemper quieſcunt, quæ eſt terra, prout eſt mundi centrum, ſecundum ejus totalitatem: & poſtremò in ea quæ interdum moventur, ac interdum quieſcunt, quæ ſunt naturalia, res ſcilicet infra cœlum. Hæc ſanè ſunt Phyſicæ tractationis, eaque inveſtigat, ut apertè teſtantur verba Philoſophi in primo de partibus animalium, ubi intellectum ſeparat à naturali ſcientia: nulla profectò alia ratione, niſi quòd non ſit affixus organo. Itaque ſolùm de natura, quæ eſt principium rerum, quæ orbi lunari ſubjiciuntur, & materia conſtant, pertractant.

Accedunt Ariſtotelis verba, ſecundo Phyſicorum, ubi de ſimo habet, quòd neque ſine materia ſit, neque ſecundum materiam, ubi formam, quæ eſt in materia, naturam appellat. Neque hoc jam aliis pluribus rationibus confirmare aut demonſtrare conabor, quod nulli amplius dubium eſſe mihi perſuadeam. Nec nos movere debet illud Ariſtotelis dictum, cœlum eſſe corpus naturale, habereq; naturam, nam hæc omnia æquivocè dicuntur

de cœlo. Vocat porrò cœlum corpus naturale, quia movetur ab aliqua natura internè, nõ autem externè, & ab extra, ut loquuntur nostri. Sic intelligentias divinas nonnunquam naturam appellat, quia ſunt intra cœlum; non tamen abſolutam naturæ deſcriptionem obtinent. Sic naturam æquivocè dictam infra Deum collocavit, inquiens, Deum & Naturam nihil fruſtrà facere; diſtinguens naturam rerum ſublunarium ab intelligentiis, atq; ita primus nodũs diſſolvatur. Sequitur jam ut videamus, an anima intra naturæ limites comprehendatur.

Habet Ariſtoteles octavo Phyſicorum, animalia moveri natura, & ſiſtere ſe per animam, ubi per naturam innuit, quòd non moventur ab extrinſeco, nec violenter, quomodo ignis movetur in orbem à cœlo: atque is motus, quòd fiat ab extrinſeco, dicitur eſſe igni præter naturam: ut ſupra naturam is, quo movetur à corpore ſupra ſe collocato, & ſe conſervante. Quia igitur anima eſt principiũ intrinſecum animalis, habet rationem naturæ: licèt ab ea diſtinguatur, quia non agit ſingulariter unum, ut ibidẽ docet Philoſophus: anima enim videtur duo contraria agere: atq; hoc pacto non eſt natura, ſed eſt natura, ut eſt principium intrinſecum motus & ſtatus. Neq; quia in definitione additur ſtatus, putã-
dum

dum est cœlum comprehendi, quasi illi status competat, quod semper sit in eodem loco: nam situm mutat, idq́; assiduè, saltem per cõfigurationem partium, quam obtinet ad terram: atq; is status dictus est per similitudiné, nam in definitione cùm dicitur, status intelligendus est finis, & quies: cœlumauté quod non mutet locum, Alexander dixit, dum movetur magis assimilari quieti quàm motui: idq́ue ob eam quam diximus, causam.

Ad id verò, quod tertio loco proponebatur, dicimus, quòd natura non sit propria inclinatio & propensio, qualis est materiæ ad formam, & formæ ad opus, ut placuit Simplicio: quoniam si hoc esset natura, non esset principium motus & quietis: quandoquidem propensionem & appetitum Aristoteles tertio de anima vocat motum. Verùm natura est ipsa materia & forma, cum hac propensione, & propterea nomen naturæ habitudinem significat: quoniam hæc propensio & appetitio innuit inclinationem, & ut sic dicam, pendentiam ad aliam: nomé autem materiæ & formę significat concausam, & partes concreti. Inquit enim Aristot. 2. Physi. in fine, quòd si in ligno esset navifactiva, esset naturalis propensio ad navem, non enim natura significat solùm propensioné & inclinationé, sed impetum qui fit ab aliquo principio. Atq;

iccirco ſecundo Phyſicorum dicitur **naturam** eſſe ſubſtantiam, quod profectò nulla ratione diceretur, ſi natura eſſet propenſio & appetitio; cùm certum ſit propenſionem non eſſe ſubſtantiam, neq; in ſubjecto: ſed nec ſcientia naturalis dicitur eſſe de propenſionibus, ſed de rebus, nam cùm dicimus ſcientiam de natura, intelligimus de rebus. Materia igitur quamvis omnes formas appetat appetitione naturali, quæ eſt ſine cognitione: tamẽ cùm dicimus materiam eſſe naturam, non intelligendum eſt de materia prima ac abſoluta, ſed de proxima, ac de compoſita; quòd natura propenſionem habeat ad unam formam potius quàm ad aliam. Materia porrò prima dicitur natura, quatenus defert naturam, ut docetur quinto Metaphy. ab Averroë, cùm natura notet propenſionem ad certam formam. Sed cùm in dubium vertitur, an accidens ſit natura: reſpondemus, accidens haudquaquam dici naturam, quia dicitur ſecundum naturam, Ariſtotele ſecundo Phyſicorum: & ſi accidentia & facultates comparantur ad actionem, vocantur inſtrumenta naturæ, cùm ignis non agat niſi quatenus calidus, ut inquit Philoſophus libro de ſenſu: quandoquidem accidens potius eſt facultas naturæ, quàm natura: & rationabilius dicitur ſecundum naturam, cùm naturam ſequatur:

& generans dans naturam, dat accidentia, quę insequuntur naturam: sic cùm quærebatur, an accidens esset principium motus, dicendum est, quòd sit magis naturę facultas, quam quòd aliquid agat sua vi & facultate. Postremò percuntanti an natura in recto casu & in obliquo idem significet, respondendũ, quòd natura in recto denotat principium essendi ac motus, sed in obliquo aliquãdo signat perfectionem, quemadmodum Aristoteli octavo Metaphysicorum, quæ sunt posteriora, sunt priora natura, ut substantia est prior natura accidente, hoc est, est perfectione & simpliciter prior. Atq; ita primo Politicorum dixit, totum esse natura prius partibus ut civitatem, & loquitur de partibus materialibus: sic dicimus principia esse nota natura, hoc est simpliciter, & absolutè: sed effectus sunt noti nobis.

Atque hoc pacto intelligendum est, quòd ea quæ sunt nota nobis, non sunt nota natura, id est simpliciter, & suapte natura, quemadmodum principia quę cum sint simplicia, sua natura sunt nota. Aliquando priora natura vocantur, quæ non commeant, neque reciprocantur: quo pacto Averroës appellat principium prius natura, quia principio dato cuncta sequuntur: non autem econtrà, positis natura prioribus necesse est ponere posterio-

ra, ut ex prædicamentis capite de priori patet. Quare non eſt idem natura in recto caſu, quod in obliquo. Neç mirum quòd Divinus nomen naturæ ad plura dilatet & ampliet: nam cùm ejus ſcientia ſit cõmuniſſima, debet de communiſſimis nominibus curam habere, ejusq́ue ſignificata colligere: Attamen natura propriè ac præcipuè dicitur ea quæ eſt principium motus & eſſendi, eſſendi quidem, ut eſt actus & ἐντελέχεια: motus verò, ut notat propenſionem ad tranſmutationem atque ad motum: atque iccirco Latini aſſeruerunt, nomen naturę ſignificare habitudinem. Et hæc de natura, quatenus ab Ariſt. deſcribitur, dicta ſatis in præſentia ſint: nunc ad ejus definitionis partes accedamus.

Quare definierit naturam Philoſophus, cùm ſit nota per ſe.

CAP. III.

QUę in Phyſicis pertractantur, veluti proloquia quædam habentur in Philoſophia naturali: quare non immeritò dubitari ſolet, quare naturam definierit, cùm ſit per ſe nota: nam quæ ſunt veluti proloquia, ſolũ opus habent tenui inductione. His reſpondet Simplicius, docens, qua ratione ex effectibus naturalibus naturæ definitionem expli-

explicuerit. Porrò quia ſyllogiſmus hypotheticus non explicat ignota naturaliter, ut rectè monet Averroës, ſed ea quæ non indigent robuſta demonſtratione: effectus naturales ſyllogiſmo hypothetico inferuntur. Differũt autem naturales ab effectibus aliarum cauſarum, quoniã naturalia corpora habent principiũ intrinſecum & per ſe, quo moventur & quieſcunt; at artificialia minimè, ut per inductionem docet Ariſtoteles. Igitur natura erit tanquam principium & cauſa movendi ejus in quo eſt primò & per ſe. Ubi quærunt quidam, quare dixit tanquam? Reſpondent nonnulli, iccirco additum fuiſſe, ut diſtingueretur natura à compoſito, cùm nihil ſit tanquam principium, niſi materia & forma. Sed hæc interpretatio non videtur reſpondere verbis Philoſophi, neq; illam probamus. Videtur autem, quòd tanquam imminuat rationẽ principii & cauſæ, quod principium verè efficiens ſit id quod eſt extra rẽ, materia quippe & forma non ſunt verè principia, ſed potiùs impetus inclinationis principii: neq; vera cauſa, quandoquidem cauſa propriè de fine dici debet. Sunt autem duæ ſubſtantiæ hujusmodi impetum habentes, quemadmodum diximus alibi in quæſtionib. de motibus elementorũ: atq; eum impetum Philoſophus aliâs ζώπυρον, nõnunquã ὁρμὴν &

ζοπὴ vocare consuevit, quòd sit quoddam veluti excitamentum : ac propterea ejusmodi impetus haud est natura, quòd natura denotat non solùm impetum, sed sit causa & motus & consistentia animalis: quoniam utrumque convenit animali per animam, veluti diximus.

Dixit porrò principium & causam, atq; illum, & ponitur expositivè, cùm quinto Metaphy. principium viæ dicitur terminus viæ, sed nō causa, verùm natura non est principiū tantùm, sed & causa. Atque dixit, tanquam ut monuimus, quòd natura non sit verè principium motus, quemadmodum ars, quæ ponitur loco exempli, nam ars habet rationem verè principii, non autem natura. Præterea natura habet impetum ad ea quę perficiunt substantiam naturalem, & propter hoc dixit tanquam, quoniam ars operatur ut efficiat, non autem ut recipiat perfectionem in seipsam: Verùm natura habet impetum ad illa, ut perficiatur vel motu, vel quiete, ab intrinseco.

Quibus sic constitutis facilè sedatur quæstio, utrum de principio activo an passivo loquatur: nam natura notat principium simile principio motuum in artibus: verùm quia est principium motus, ut in sese recipitur, & ut in subjecto, in quo est ille impetus, ideò is impetus interdum Aristoteli principium passivum,

ſivum, nonnunquam activum nominatur: quæ res dedit cauſam dubitandi. Cæterùm ſi quis diligentius conſideraverit, videbit idem eſſe principium & fomentum illud, vel impetum, atque hæc duo poſſe ſimul in eodem ſubjecto reperiri, nempe habere principium & inclinationem ad motum, & eum recipere, neque hæc duo eſſe uni incompoſſibilia, ut loquuntur: ut ſi in lignis eſſet navifactiva, haberent ligna impetum ad formam navis, eamque reciperent: & quemadmodum in ζωπύρῳ eſt ignis, id eſt propenſio ad ignem, ſi excitetur ab alio: ita in elementis eſt natura, quæ habet impetum ad motum, ſi ab alio excitetur, vel à removente prohibens, vel à generante: quia generans cùm dat formam, dat impetum, qui eſt ipſamet forma in materia. Id autem quod removet prohibens, hanc formam ad motum excitat, quæ habet propenſionem ad motum.

Nec potuit id accuratius exquiſitiusvé Philoſophus explicare alio exemplo quàm artis, puta medici: nam ipſe ſanitatem inducit, & ad eam inducendam non ſolùm dicitur habere impetum, verùm etiam efficere. Verùm duplex eſt differentia, ſanitatem recipere, & efficere per accidens, quæ in medico conjunguntur, licèt poſſint ſeparari, veluti in ægroto: nam in eo ſanitas recipitur, quæ à medico

dico

dico efficitur. Sed in natura illum impetum non propriè dicimus esse causam effectivam motus, cùm non sit verè efficiens, sed tanquam efficiens: verius enim videtur, quòd recipiat motũ, quàm efficiat ab intrinseco. Atque ob id Aristoteles ait, interdum elementa, quæ sunt prima corpora naturalia, habere principium passivum. At in motibus animæ non licet dicere tanquam principium, quòd anima à corpore nõ solùm ratione, sed essentia quoq; distinguatur, cùm animatum corpus, quoad suum esse aliud sit ab anima: & licèt esse animati conveniat toti & corpori, ob animam, tamẽ aliud est corpus, quàm anima.

Quibus sic declaratis liquet, verba Aristotelis nihil inter se dissidere, cùm dicat, modò habere principium activum, id est impetum: modò passivum, quod est à forma in materia: nanq; à forma, qua forma est, habetur impetus: ab eadem verò ut est in materia, habentur principium passivum. Neq; est inconveniens, quòd forma propter suam imperfectionem patiatur, ut est in materia, & sortitur rationem partis. Cæterùm in animalibus forma agendi potiùs obtinet rationem, licèt, ut est in corpore, multa perpetiatur: hoc enim illi accidit ob corpus: nam patitur iram, timorem, motum, quia movetur ad motum corporis, quod movet, & ipsamet hujusmodi pas-

paſſionis atq; affectionis eſt cauſa: ſed habet potiorem rationem cauſæ & principii, velut explicavimus in quæſtionibus de motibus elementorum.

Sunt plurimi qui in dubium vertant, num natura ſit primum principium & prima cauſa motus & quietis, cùm ſupremæ mentes, quæ ordinant, atq; regulant, ut loquuntur, naturæ opus videantur eſſe primum principium: nã ipſa videntur & arti & artifici ſimiles eſſe: quippe, ut rectè dixit Averroës octavo Phyſicorum, cœlum eſt artifex, & nos ſumus ejus veluti inſtrumenta. Cui dubitationi ſatisfaciemus ex iis quæ habet Ariſtoteles quarto de generatione animalium, capite poſtremo, quòd mundus quidem hic inferior, qui circa terram eſt à motu cœli, qui uniformis, ſuiq; ſemper ſimilis eſt, regulatur: etiamſi propter materiæ ἀοριστίαν & indeterminationem poſſint fortuiti eventus oboriri. Attamẽ, quamvis cœlum ordinet naturæ functiones, dicaturq; primum principium, non eſt primò in compoſito naturali, ut natura. Quapropter cœlum eſt primum alterans, non tamen eſt in illo, in quo eſt natura, verùm ab illo ſejungitur. Natura autem eſt principium motus primum in illo in quo eſt.

Addidit porrò iccirco primò, quod mea quidem ſententia, pro propriè accepit, aliter

pro-

profectò quàm libro Posteriorum analyticorum, nam hic proximo & immediato capit, quomodo dicimus causam proximam esse causam primam. Cæterùm illud per se,& non per accidens, non determinat causam, sed effectum, ut recipitur in subjecto. Itaque dixit primò, quo innuit impetũ ac inclinationem esse principium proximum ac immediatum: & dixit per se & non per accidens,quo determinat effectum, ut in subjecto recipitur, veluti dixi,adeò,ut ab arte distinguatur natura duobus: siquidem in arte, in uno eodemque subjecto non est impetus ad motum primò,neque admittit per se illum motum,ut in naturalibus effectibus usu venit: nam in medico,ut medicus est,est medicina primò, cùm sit proxima causa sanitatis inducendæ: non tamen per se recipit sanitatem,&ut medicus, in sese nanque hæc distinguuntur,& sub alia ratione infert sanitatem, & sub alia accipit: quippe in quãtum medicus est sanitatis causa; at quatenus æger,recipit eam. At in entibus & effectibus naturalibus, ubi est principium primum ac proximum inclinationis ad motum,ibi est receptio motus. Non est ergo idẽ primò, & per se, & non per accidens: nam primum determinat principium, & per se receptionem motus. In his quæ eveniunt casu, non est primum principium, id est proximus im-

impetus ad effectum : ſola enim materia eſt ejuſmodi eventuum cauſa, ut ſexto primæ Philoſophiæ Philoſophus declarat. Ac propterea in cœlo non reperitur caſus, quia non eſt materia ejuſdem rationis, cum hac noſtra. Proinde in his quæ caſu eveniunt, eſt principium, id eſt proxima cauſa non determinata, ſed per accidens: atque in his quæ fiunt ab arte, quamvis ſit principium per ſe, tamen non in eodem ſubjecto per ſe ſub alia ratione eſt principium efficiendi & patiendi, cùm hæc duo poſſint ſeparari, ſæpeq; ſejungantur.

Quòd ſi mihi objicies ex Averroë, artem ſaltandi, quòd in eodem ſit principium movens: & ars ſaltandi: Dicam ea eſſe diverſa, nanq; facultas ſenſus eſt principium movens; quòd verò actui modus imponatur, id facit mens, quæ non eſt principium motus. Quare etſi fiat ab electione, quæ imperat actui, ac regula eſt principii moventis : attamen primum principium eſt facultas, quæ eſt in muſculis ac membris. Quòd ſi inſtes, rationem ſaltandi in animantibus quoque ratione carentibus conſpici, puta canibus, urſis, atque id genus reliquis: Dico ea artis quandam imaginem habere, quemadmodum octavo de Hiſtoria animantium docet Ariſt. propter uſum, idque quòd habeant memoriam: quemadmodum & pſittacus exprimit humana ver-

ba, non tamen arte aut ratione, ſed uſu & memoria, veluti copioſius docuimus libro primo primæ Philoſophiæ. Quarę non poſſum probare id quod reſpondet Averroës de arte ſaltandi, in ſecundo Phyſic. Itaq; ut in ſummã cõtrahamus ea quæ diximus quò facilius memorię mandẽtur, dicimus naturam eſſe principium & cauſam motus & quietis: atque hoc ad cauſam efficientem, vel id quod ſe habet ut cauſa efficiens, eſſe referẽdum. Et per motum & quietem intelligemus diſpoſitionem rerum ſublunarium, ac ſubſtantiarum naturalium: nam quæ moventur ſolùm, veluti corpora cœleſtia, habent ſtatum, quòd ſint eodem in loco, & quietem ſecundum partes; quę tamen non eſt verè quies, cùm nunquam eodem modo ſe habeant partes, licèt totum ſit ſemper in fine, ut diximus ſuprà: ſic quæ quieſcunt ſemper, etſi partes eorum habeant propenſionem ad motum, non dicuntur verè quieſcere & moveri. Quocirca nec de cœlo, nec de terra, ut centrum eſt, dicitur natura hæc, ſed de mediis, quæ aliquando quieſcunt, & aliquando moventur, & de terra, non ut centrum, ſed ut eſt corpus naturale, habens propenſionem ad motum & quietem. Atque illud ejus in quo eſt primò ac per ſe, excludit cœlum, quod etſi ſit prima cauſa, non eſt tamen proxima. Quare non ita inter-

pre-

pretamur ut Græci, ſed ut Ariſtoteles habet octavo Phyſicorum. Secluditur etiam intellectus ab hac ratione, cùm non ſit principium motus, ut immediata cauſa: ſed principium movens eſt facultas ſentiendi, quæ eſt in muſculis. Illud autem, & non per accidens, determinat principium recipiendi: nempe naturam non per accidens recipere motum, ad quem habet propenſionem ut medicum, qui nunquam ut medicus, eſt proximum & primum principium medendi ac ſanandi: tamen non recipit ſanitatem ut medicus, ſed alia ratione, quæ à medico poteſt ſeparari, nẽpe ut æger. At in natura hæc ſejungi nequeũt: nam quod in natura eſt principium inclinationis ad motum in illo, in quo eſt, id non ſeparatur, neq; alia ratione quam produxit, recipit, quod eodem principio, quo impellitur ad motum, recipiat quoq; motũ. Et quamvis habeat impetum una ratione, nempe ut actus materiæ, & recipiat ut compoſitum: attamen idem eſt principium proximum impetus & receptionis. Hinc intelligere facilè poteris, quòd etſi actio conveniat formæ, tamen cauſa quare habeat impetum ad id quod recipi debet in ſe ipſo, eſt forma in materia. Caliditas enim, ut inquit Ariſt. primo de Generatione, ſi ſepara
retur à ſubjecto, produceret calorem, non tamen pateretur. Nec forma

dicitur habere inclinationem ad motum recipiendũ, nisi ut est in materia, licet ad ipsum producendum posset ab intellectu intelligi, non tamen in seipso produceretur, nisi esset affectio summè perficiens, cujusmodi est ipsum intelligere, quæ est actio manens in intellectu intelligentiarum, ut libro de humana mente explicavimus. Naturæ verò impetus & inclinatio, non est nisi ad recipiendum motũ: & propter hoc potiùs appellatur principium passivum ab Aristotele, quàm activum, ut diximus.

Nec te moveat id quod habet Grammaticus, quòd Aristoteles non descripserit naturam, sed opus naturæ: quoniam Naturalis supponit substantiam & accidens; ac cognoscit & inquirit cuncta, ut referuntur ad motum vel recipiendum, vel producendum. At primus Philosophus ea, nempe an sit substantia vel accidens, perscrutatur. Porrò eorum quæ fiunt ab electione, electio non est semper initium producendi vel agendi, cùm electio non secus eorum quæ in aliis quàm quæ in se ipso recipiuntur, sit principium, ut docuimus in libro: An homo sponte sua fiat bonus vel malus. Atque hæc de ratione naturæ breviter dicta sint.

Utrum

Utrum causa efficiens possit appellari natura secundum Aristotelem?

CAP. IIII.

SImplicius, quamvis sibi ipsi non satis constans, opinatur causam efficientem recenseri ab Aristot. inter ea quæ nomine naturæ significantur; idque innuisse exemplo medici, adeò, ut natura comprehendat materiam, formam, generationem, quæ est via in naturam, & causam efficientem. Verùm hæc non respondent verbis Philosophi: siquidem ipse distinxit causam facientem & moventem à natura, & quanquam movens latiùs patet, ut constat ex libro tertio Physicorum, & primo de generatione; tamen causa faciens & movens dicitur naturalis, non autem natura, cùm non sit in illo cujus est natura. Generatio quidē dicitur natura, quia est via ad naturam, denominaturque natura à termino ad quem properat, at agens dici nequit natura ob id quòd producat naturam. Benè tamen dicitur naturale, quoniam agit secundum ordinem naturæ: causa verò naturalis appellatur ea, quæ est principiū unde motus naturalis oritur, ut docet Philosophus secundo Physicorum, & nono primæ Philosophiæ. Nihilominus natura habet similitudinem cum

cauſa efficiente ratione motus: ſic & cum cauſa materiali, in quantum motũ reſpicit. Cenſemus ergo cauſam efficientem inter naturæ ſignificata non eſſe admittendam: ſed dicendum eſſe principium unde motus.

Et licèt primus Philoſophus appellet cauſam efficientẽ eam, quæ ſine motu mutationeq́; efficit, qualis eſt Deus: attamen ejuſmodi agens nuncupatur per ſimilitudinem: nam agens verum nominatur faciens, quod cum tranſmutatione agit & operatur; diciturq́ue principium unde motus. Atque hæc eſt vera naturalis actio, quæ operatur cum motu, tunc enim accidit proventus & conſecutio, ut tradit Averroës duodecimo primæ philoſophię. Neque Ariſtotelem inſequenti concedenda eſt creatio, & quæ dicitur emanatio: cùm & Alexander neget, Deum eſſe cauſam efficientem mundi, ſecundum totum: licèt ſemper generet mundum, ſecundum partem. Non eſt igitur dicendum, cauſam efficientem eſſe naturam: nam partem vocat quidem Ariſtoteles cauſam naturalem, nõ tamen naturam: nec agentia, niſi ut ſunt principia, unde motus, in quo ſunt & facientia, nominantur natura.

Neque mirandum eſt, quare Ariſtoteles dicat, alia eſſe natura, alia propter alias cauſas: nam per alias cauſas, Deum, electionem, caſum,

ſum, & artem intelligit. Omnes enim hæ cauſæ ſunt efficientes, ut ſeptimo primæ Philoſophię traditur: & primo cœli, ubi inquit, Deum & naturam nihil fruſtrà facere, & per naturam cauſam naturalem efficientem intelligit. Quare dicendum eſt, naturã ibi capi pro rerum naturalium congerie, & ampliſſimo ſignificatu, cùm ait, naturam nihil fruſtra facere: at hìc, ubi dixit, quædam ſunt à natura, naturam accipit pro cauſa agente, & pro principio impellente in illo in quo eſt propriè, ſcilicet nomine naturæ uſus. Porrò qua de cauſa exemplum artis fuerit adjunctum, jam ſuprà docuimus: quare ita finis huic imponatur, ut de fine agamus.

De cauſa finali.

CAPUT V.

TRactationem de cauſis aggreſſuri, non malè, ni fallor, eam à fine, tanquam cauſarum præcipua, & omnium cauſarum cauſa, auſpicabimur: hæc enim omnes alias cauſas, ſive eæ fuerint naturales, ſive ex electione, quæ per ſe finem aliquem ſibi perſcribunt proponuntque, movet: quod ſatis docet materia & forma (de quibus abundè ſatis lib. 1. diſputavimus) atque ipſa cauſa efficiens. Verùm cùm nomen finis primùm inqui-

quiri soleat, scire licet, nos jam non loqui de eo fine, quem per opera nostra attingere nitimur, qui Deus est benedictus (illi nanque cupimus assimilari) idque ex ipsius naturæ instinctu ac præscripto, sed de eo fine, qui nostram actionem insequitur, quique nihil aliud est quàm terminus à nobis effectus, ad quem producendum quibusdam mediis, & quodam ordine cõtendimus, qui finis in virtute agentis esse debet. Nec hoc loco, quod Aristoteles facit secundo Physicorum, necesse est distinguere finem quo, & gratia cujus, cùm id ex verbis ipsius Philosophi satis pateat: circa finem igitur, gratia cujus agens movet, sive ex electione, sive impetu naturali agat, nostra hæc quæstio versabitur.

Ac primùm in dubium vocamus de causa finali, num idem sit finis generationis, & id quod per generationem fit: nam quamvis dicat Arist. finem generationis esse formam, tamen forma non fit, sed compositum, ut diximus superiori libro: quod enim fit, est concretum ex materia & forma: atque iccirco in generatione duo videntur fieri, cùm pluribus videtur satius esse dicere, esse concretum id quod fit, quàm formam, quandoquidem adepto eo quod coacervatur ex materia & forma, generatio cessat. Deinde, id nuncupatur finis, quod generans postremũ sibi proponit;

sed

ſed generans poſtremò ſibi proponit hominem, & filium, ac per eum formam; & informare materiam. Igitur id quod fit, cùm ſit cõpoſitum, gratia cujus agens operatur, iſthuc debet dici finis. At Ariſtoteles facit formam, finem, & non id quod fit ex generatione. Inquit enim primo de generatione, habitibus præſentibus in materia ceſſat motus: & in 2. Phyſi. forma eſt finis generationis. Quocirca poëtas reprehendit, qui mortem finem eſſe dixerunt, finis enim non ſolùm ſignificat ultimum, ſed bonum. Deinde dubitatur, an agens naturale à fine perficiatur, puta an pater generans filium perficiatur, filiusque ſit ejus perfectio? Verùm ut priori ſatisfiat, quidam ajunt, quòd terminus totalis ſit compoſitum, & formalis ſit forma: verùm hoc non probamus, nec arridere poſſe Ariſt. putamus, quòd compoſitum, quia compoſitum verè dici nequeat terminus, quòd altera ejus pars, puta materia (quamvis fiat pars, eo quo diximus modo) non ſimpliciter accipiat eſſe propter ſuam indeterminationem: neque fiat abſolutè, ſed forma accipit eſſe terminatum, non tamen eſſe materiæ, quia ſi hoc eſſet, gigneretur, nec eſſet æterna, ſed capit eſſe terminatum, hoc eſt eſſe hujus formæ, qua fit in actu, & pars hujus compoſiti. Quapropter cùm altera compoſiti pars non abſolutè di-

catur fieri: ideò Ariſtoteles non dixit, id quod fit, eſſe finem generationis, ſed formã, quòd ea ſimpliciter accipiat eſſe, quia antea non erat nec in materia, in actu, nec in ſe ipſa, ut jam ſuprà demonſtravimus. Neq; jam adducta diſtinctio de termino formali & totali aliquid juvat: nam terminus eſt unus, & eſt finis generationis quæ eſt forma, à qua mutatio rationem mutationis ſumit ſimpliciter, & ſecundùm quid, vel alterationis & generationis, ut ajunt. Neq; hoc quod dicitur, formam eſſe terminum quo, & compoſitum eſſe terminum quod, eſt Peripateticè dictum: cùm forma ſit finis quo & quod: ſed quod fit, eſt compoſitum gratia cujus eſt forma producta in materia. Quare generatio entitas, perfectio actualitas, ut utar ipſorum verbis, eſt per rationem formæ, tanquam per cauſam, ac partem. Forma autem non dicitur verè gigni, eſſeque id quod fit, per ſe, ut ſatis docet Ariſtoteles duodecimo primæ Philoſophiæ: & ratio in promptu eſt, quòd forma ſimplex ſit, neque ex illo fiat, tanquam ex parte.

Quòd ſi aliquando dicitur ab Ariſtotele formam fieri, id non ſignificat aliquid diſtinctum à mutatione, quia mutatio eſt forma diminuta, quæ cùm abſolvitur, definit mutatio. Jam cùm dicit, quòd habitibus præſentibus in materia ceſſat motus, intelligit quòd actio per-

perficitur, & compositum factum est. Forma igitur habet rationem causæ, propter quam compositum fit in esse perfecto; & compositum dicitur fieri per formam, quia cùm ipsa non adest, neq; completa est in materia, compositum non dicitur fieri. Non est igitur dubitandum, quare forma dicatur terminus, nõ autem compositum: quia per formam tanquam per causam gignitur compositum: Ipsa vero cùm sit simplex, secundum totum accipit esse, & propterea dicitur finis, nempe ut causa, & ut simplex. Itaq; completa generatione completus est actus compositi, & factus est: atque iccirco forma nequaquam dicitur generari, quia ad eam haud concurrit, nisi quatenus causa. Quòd si quando reperias generari materiam & formam, hoc dicitur, quia forma educitur, nam cùm natura sibi nõ proponat ceu scopum formam, sed compositum (forma enim tantùm habetur ut concausa, & ut pars) per accidens eãm dicimus gigni. Sic materia quoque, quando fit pars compositi, dicitur per accidens fieri.

Quibus ita explicatis, intelliges quid velint illi qui ajunt materiam generari subjectivè, formam verò formaliter, & compositum terminativè, ut totum: licèt ejusmodi nomina totam rem potius confundant, quàm explicent. Quare hoc modo res est percipienda,

natura non proponit sibi formam, sed compositum, quod sit gignenti simile: Igitur proponit sibi formam in materia, quod est compositum: quæ quidem forma est rei natura, veluti dictum fuit, quæ unà cum materia constituit compositum & naturatū, ut ita dicam, Cumque concurrat ut causa, & pars (nam ut diximus, natura non proponit sibi illam primò ac per se) ex accidenti generatur. Similiter & materia. Atque hoc pacto diluuntur omnes rationes, quæ hanc sententiam demoliri videntur: nam cùm dicitur, quòd in omni motu debet terminus per se, hoc quidem verum est, quia semper forma terminat generationem: non tamen dicimus ipsam per se fieri, id est, ab agente naturali: non enim eam sibi per se proponit. Sic nec ea ratio valet, forma est per se terminus, ergo per se fit, nam quamvis forma sit per se terminus, tamē cùm non fiat, nisi ut pars, non per se fit, licèt per ipsam compositum fiat, tanquam per causam & partem, cùm agens naturale, materiā quoque proponat sibi facere partem compositi, adeò, ut ipsa forma sit causa, quare materia fiat pars. Nam nisi è materia educeretur forma, utique non fieret pars: una enim forma est causa, quare compositum fiat, & quare materiæ pars in actu fiat pars hujus compositi.

De-

Deinde, cùm demonstrare conantur, formam per se gigni, quia præcedit totum in esse, est enim causa, ex quo inferunt, ergo præcedit in generari, quia illa causa præcedit in esse, cujus generatio præcedit generationem compositi, neq; una generatione utraque gignitur. Respondendum est, quòd hæc sit differentia inter causas extrinsecas & intrinsecas, quod esse efficientis præcedit, neq; simul fit cum re genita & effectu: quemadmodum docet duodecimo Metaphy. Aristoteles. At causa intrinseca, puta forma, simul est cum eo cujus est forma, alioq[illegible] non esset forma propria illius, cujus est forma. Quare cùm objicitur, quòd causa præcedit rem, intellige de causa extrinseca, puta efficiente, non autem de intrinseca, quæq; est intra rem. Neque generatio formæ præcedit generationem compositi: sed utraque una eademq; generatione oritur: quod compositum habeat unum esse cum forma, quamvis secundaria significatione compositum connotet aliam partē. Quare, quia habent unum esse, dicunt Philosophi formam & compositum significare primò idem: quanquam alteram partem, ceu compositum, secundariò notet. Atque ut inquit Aristotoles quarto primæ Philosophię, quæ sunt eadem, una generatione generantur, eademq; corruptione corrumpuntur.

Est & alia ratio, qua nituntur probare formã per se generari, quoniam id potiùs dicitur generari, quod secundum omnes suas partes ac secundum totum generatur. Sed forma generatur secundum omnes suas partes, compositum verò secundum unam, puta materiam: igitur forma potius dicitur per se generari quàm compositum. Verùm huic ita satisfiet, quòd non videtur ratio generari secundum se, & omnes partes, quia simplex est, ac propterea vocatur finis generationis: verùm id quod agens naturale sibi proponit, dicimus per se gigni, id autem est compositum, & non forma.

Quòd si instabis, compositum secundum unam partem generatur, nam materia haudquaquã gignitur. Dicendũ est, quòd materia, ut sit pars, generatur, & sub hac forma: verùm ut subjectum & pars hujus compositi, desinit esse, non autem ut materia, cùm significet indeterminationem: nam ut materia & substantia potentia est æterna, quæ per privationem notat formam determinatam, & desinit esse. Duplici ergo ratione deficit, tùm ut subjectum, & pars compositi; tum ut materia, quatenus denotat determinatam potentiam ad certam formam; ita nanque Philosophus primo Physicorum ait, eam per privationem esse corruptibilem, idque nobis signi-

ſignificavit Alex.lib.1. de anima ca.2. ubi cùm de materia prima loquitur, inquit: Simplicium corporum materię interitus, in proprię formæ abjectione conſiſtit. Eſt igitur forma finis generationis, ſed id quod ſubſiſtit, fit, eſtq́; id quod agens ſibi proponit.

Dubitatur præterea de homine, quòd cùm ſit compoſitum corruptioni obnoxium, forma tamen eſt æterna: nam anima & intellectus ſubſtantiæ ſunt æternæ. Multa de hac re diximus in libro de mente humana, ſed ut quędam ſub typo nunc repetamus, quò dubitationi ſatisfaciam, dico animam, quæ educta eſt de materiæ gremio, eſſe corruptioni obnoxiam, intellectumq́; haud eſſe æternum, ſed oriri & occidere. Et quamvis hoc orthodoxorum fidei refragetur, quæ animæ æternitatem adſtruit: attamen Philoſopho id fuit ignotum, vel ſaltem ita fuit coactus aſſerere, quòd plurimorum dubiorum ambages alias effugere nequiverit.

Proinde ubi jam ſatis fuerit declaratum, quo pacto forma ſit terminus ac finis generationis, reſpondendum eſt alteri objectioni, qua quærebatur, num agens in generatione ſui ſimilis perficiatur. Dicimus itaque, quòd agens in his ſublunaribus per ſuam actionem perficitur, eſt enim actionis & operis gratia. Itidem in ſuo ſimili effectu perficitur,

quip-

quippe per effectum fit speciei conservatio: atque ita quodammodo fit æternitatis particeps, assimilaturque diis saltem æternitate successionis, licèt non existentia. Quamobrem ait Aristoteles in Oeconomico, quòd qui matrimonium spernit, Deos spernere videtur, quòd Deus sit æternitas: atque ob id quoq; dixit, generalissimum esse, gignere sibi simile, quod appetitu quodam naturali unumquodq; semper esse desideret. Quòd si mihi objicias, hunc effectum posse à diversis agentibus generari, quòd Socrates à Platone per accidens generetur. Dico, quòd Socrates, ut est à Platone genitus, haudquaquam est per accidens, licèt ordo sit per accidens, nempe avi, aut proavi: non enim ad Socratis generationem necessarius fuit avus, quòd avo corrupto à patre fuerit genitus. Verùm in causis quæ habent ordinem essentialem, posterior causa nequit effectum suum citra medium producere, nisi intercedat prior. Quare dixit Averroës octavo Physicorum, causas singulares habere ordinem per accidens. Nec hic effectus potest alio tempore idem produci, quia sequeretur, quòd idem posset restitui: quod reluctatur Aristoteli quinto Physicorum, qui ait, individua jam facta non posse restitui, neq; redire.

Quòd si instes, esse idem agens, eandem ma-

materiam, eandemq; potentiam: igitur eundem effectum. Huic multifariam responderi potest, primùm, non esse post ortum Socratis eandem habitudinem agentis ad materiam. Sunt qui dicant, non esse eandem potentiam ad Socratem, eo orto, producendum, atque iccircò non esse eundem effectum, qui alio tempore producitur. Itaque quamvis sit agens proximum idem, eademque materia, haud tamē erit idem effectus cum producto, sed similis, quod habeat easdem causas; & si approximatio (ut sic dicā) & potentia non sit eadem, neq; in diversis temporibus erit eadē mutatio, quanquam idem est agens, & eadē materia. Itidem de omnibus mutationibus dicendum est, nempe easdem mutationes diversis temporibus non posse oriri. Sed si causę proximæ erunt eædem, similes producentur. Quòd si dicas, accidentia posse ab agente univoco atq; æquivoco gigni, ut docent Philosophi, cùm sint formæ imperfectæ, atq; entia imminuta. Respondeo, quòd quamvis qualitates à diversis agentibus possint produci: similes tamen, non autem numero eadem producuntur. Sic & passio, quæ infertur sensui, & qua sensus afficitur, (quam Philosophi nominant sensationem) potest quidem à diversis agentibus similis effici, non tamen eadem numero, licèt sensus non agnoscat

prioris ac posterioris discrimen. Hinc fit, ut si duo ova sensui interdum offerantur, aliquo interposito tempore, is nequeat alterum ab altero secernere. Atque ita hæc dubitatio diluatur.

An finis sit naturæ actionum terminus sub boni specie?

Cap. VI.

PErobscura nobis oboritur disputatio, dũ inquirimus, an finis sub ratione ac specie boni inter causas recenseatur, nam quibusdam haud ignobilibus Philos. sub ratione mali finẽ quoq; nos movere visum est. Verùm paulò post, cùm de speciebus ac causis disseremus, quantum valeat hæc sententia docebimus. Itaque jam, qualis sit finis, quem causæ naturales sibi proponunt, aperiamus: cui deinde de fine, propter quem causa cognoscens operatur, disputatio annectatur. Est igitur animadvertendum, duplices esse causas, nempe per se, & per accidens: cumque causa per accidens certum sibi non proponat finem, ne causa quidem finalis certã causam efficientem obtinebit, nisi fuerit causa necessaria. Quare cùm quæritur de modo causę finalis, non quæritur de ea ut refertur ad causas per accidens; sed an causa per se efficiens mo-

moveatur à fine. De fine igitur eſt loquendum, cujus gratia agens naturale operatur: de quo fine accipiendæ ſunt cōditiones, cùm eas videatur habere, quæ formæ conveniunt, in quibus neceſſariò cauſæ finales reperiuntur. Conditiones autem formę ſunt perficere eſſeq; ἐντελέχεια materię, & terminare. Verùm cauſa finalis his addit bonitatem ac perfectionem, à qua ortum habet, ut agenti comparatur, & appetitionem. Et quoniam entia, quia ſunt actu bona ac perfecta, aſſimilantur fini ultimo, hoc eſt Deo Opt. Max. & ratione finis, divini obtinet rationem: propterea divinū, optimum, & appetibile vocatur finis: finis igitur naturalis habet ſuam baſin atque originem à forma, atque ab actu. Quod ſignificare voluerunt ii, qui dicunt, bonum ſequi actum, & malum potentiam. Atque idem aſſerere videtur Philoſophus primo de generatione animalium, cùm inquit, ponimus cauſarum genera quatuor numero, primum cujus gratia, ut finem; ſecundum ſubſtantiæ rationem, quæ quaſi unum quoddam ferè exiſtimanda ſunt. Quin & ſecundo Phyſicorum, vocat ſpeciem formam, & exemplar, & rationem, & quod quid erat eſſe: quoniam natura appetitu hujus formæ, facit ea quæ facit: quod vel inde liquet, quoniam ea adepta, ceſſat actio: quod ad eam, veluti

ſcopum, omnis naturæ mutatio deſtinetur. Patet igitur, quòd natura, dum ſibi proponit formam, bonum intendit. Verùm appellatur forma, ut dat eſſe, & materiam perficit: dicitur verò bonum, ut terminat appetitum naturæ; atq; in ea appetitus agentis quieſcit. Sed quare nominetur exemplar, Simplicius cum Alexandro diſſentit. Cenſet enim Alexander, quòd tam forma quæ producitur, quàm producens vocetur exemplar: quippe forma producta nominatur exemplar, quia natura cuncta quæ operatur, agit ultimæ perfectionis deſiderio, quæ terminus eſt mutationis, & in qua appetitus videtur acquieſcere. Vocatur deinde & agens exemplar, quoniá ad inſtar ſuæ formæ aliam producit, ſi nō ſpecie ſimilem, ſaltem genere propinquam. Verùm primùm producit id quod habet potentiam alterius effectus proximi, nempe ſimul atque injectum ſemen eſt in uterum, ipſum habet potentiam movendi ad alium proximum effectum, qui habet potentiam movendi ſibi immediatum effectum, donec homo perficiatur: atq; ita ſecundum quoſdam numeros ac ordines iſta obitur mutatio, quouſque abſolvatur, id quod natura ſibi proponit, niſi quid impedierit: non quidem ſecundum præelectionem, vel cognitionem: ſed ob naturalem quandam propenſionem, ut

ſpe-

ſpecies ſervetur: quippe nihil ſeipſum generat, ſed ſervat. Atq; iccirco complures dixerunt, agens in ſuo ſimili perfici. Hanc porrò naturam Alexander appellat rationem, quòd omnia ordine ac menſura quapiam peragat, quandoquidem nihil in natura eſt inordinatum, ut docet Philoſophus octavo Phyſicorum; atq; ita natura ſecundo de generatione, nuncupatur ratio. Eſt & alia ratio quæ operatur per cognitionem, quæ verè & ſola ratio dici meretur, nam natura per ſimilitudinem appellatur ratio; ob ordinem ſcilicet, quem in agendo ſervat.

Cæterùm Alexandri hanc ſentẽtiam Simplicius vellicat, quærẽs quomodo forma elementaris dici queat exemplar. Videtur enim quòd res quæ vocatur exemplar, ſit producta, nõ autem agens. Verùm reſponderem, quòd fôrma appellatur exemplar, quòd omnia ad formam ordine quodam ſervato ejus deſiderio tendãt, & agens dicitur exemplar, quia natura operatur, ut dictum eſt ad ejus exprimendam ſimilitudinem. Neque torquere debet alia Simplicii ratio, cùm inquit, quòd ſi appetitu ejus formæ agens operatur, finis, non autem exemplar ſit dicendum: nam reſpondeo, quòd forma obtinet duas rationes: ſiquidem ut terminat appetitum naturalis agentis, vocatur ultimum, & finis, ob id, quòd

omnia ad ipſam terminãtur: ut verò in forma exprimitur ſimilitudo agentis, vocatur agentis exemplar, quoniam media ad finem diriguntur, & ſecundum ſuam rationem fit ordinata mutatio, mediaq; diſponuntur: atq; ita forma dicitur exemplar reſpectu mediorum: & agens appellatur exemplar, propter formam poſtremo loco productam. Sic cum alia dubitatione Alexandrum agitat, quòd ſi forma ſit una, oportet aliquam eſſe cauſam unã primam, quæ particulares cauſas præcedat, puta ſi triticum, quæ eſt cauſa particularis, herbam facit, herba verò ſtipulam: debet aliqua una cauſa eſſe, cùm ſit forma una. Atque eam opinionem videtur tutari Averroës duodecimo primæ Philoſophiæ, ubi habet, quòd natura communefacta, & ut ipſe loquitur, rememorata ab intelligentiis non errantibus ſuum effectum producat. Hæc enim ita dilui poteſt, quòd agens ſit unius effectus, unaq; cauſa: verùm cùm ea forma, atq; id quod ſibi proponit, in lucem nõ prodeat, niſi multis intercedentibus mediis, ut patet ex Ariſt. libris de generatione animalium: opus eſt, ut una cauſa aliam proximè atq; immediatè producat, niſi quid fuerit obſtaculo, ut in hominis vel plantæ generatione, quæ ſuis numeris conſtat, liquidò conſtat. Verùm ut Alexander ſecundo quæſtionum naturalium docet,

cùm

cùm entia, quæ occidunt, & oriuntur, alterius auxilio indigeant ut ſint, æternitatemq́ue ſecundum ſpeciem conſequantur per mutationem ordinatam, id à ſuperioribus mentibus motu atque lumine cœli nanciſcuntur, ipſisq́ue inde proſpicitur, ut quadam cum motu cœli habitudine gubernentur, à quo motus inferior ordinem ſuum ſortitur, ſervatq́ue. Una igitur eſt cauſa agens particularis, quæ uti dixit Averroës, eſt velut inſtrumentum: ſed eſt prȩter eam alia, quȩ cœlũ eſt, quod veluti artifex habetur, ut octavo Phyſicorum tradit idem Averroës. Atq; iccircò ſecundo de generatione dixit Philoſophus, omnia hæc inferiora eſſe in terminis, quòd motu cœli gubernentur, quæ eſt cauſa omnibus ſecundum ſpeciem providens: id quod balbutiendo quoque ſenſit Averroës duodecimo primæ Philoſophiæ, cùm inquit, quòd circa ſpeciem eſt divina ſolicitudo.

Cæterùm rurſus contra Alexandrum inſtat Simplicius, & ait: ſi omne quod eſt immediatũ & proximum efficiẽs, poteſt producere: ergo herba eſt potẽtia ſtipula. Sed omne quod eſt in potentia, eſt materiale: ergo herba erit materia ſtipulæ, non autem efficiens, neceſſeq́ue erit quærere aliam cauſam effectricem. Verùm illi ita ſatisfaciendum eſt, quòd herba ſit potentia effectrix, non au-

tem receptrix solùm, quòd in herba sit ratio agendi, ac principium recipiens, quemadmodum in tritico est virtus formativa, & potentia recipiens. Attamen ut hæc ritè perficiantur, necessarius est motus cœli, veluti dictum fuit, quare non omnis potentia est receptiva. Sic in spermate est potentia homo, veruntamen non immediatè ac proximè: nam ita in illo solùm est potentia cor: at in corde potentiâ est hepar; id enim est quod primùm è semine fit, à quo cætera deinde membra suo quæque ordine gignuntur, quemadmodum docuit Aristoteles. Porrò cùm iterum urget, quòd proxima causa in animantibus sit materna, non autem paterna: id quidem verum est, si rectè intelligatur: nempe quòd in matre sit virtus delapsa à patre. Sed quòd sperma matris sit proxima causa, aliter quàm ut materia, profectò à vera Philosophi sentẽtia plurimum discrepat.

Neque mihi unquam arrisit id quod ipse sentit, quòd intelligentiæ cognoscant hanc formam producendam ab hoc agente: nam quamvis motus cœli inferiora ac caduca hæc ordinet, ut suis numeris finẽ, quem sibi proponunt, consequantur, neq; agant temerè & à casu: non tamen intelligentia singularia cognoscit, veluti Simplicius imaginatur, sed solùm de ordine universi sollicita est, ut rectè

Aver.

Aver. quoque duodecimo primæ Philo. testatur. Et quamvis dicamus in his esse divinam sollicitudinem, non tamen censemus intelligentias hæc sublunaria complecti: Verùm motus cœli, cùm intendatur propter universi perfectionem, regula est specierum horum sub luna caducorum: quæ cùm habeant materiam indeterminatam, non semper eundẽ effectum eodem modo recipiunt, neque servant, ut jam sæpè antea ex Aristotele quarto de generatione animalium monuimus. Neq; concedendum est, cœlum habere cognitionem, quod Avicenna ait, nam cognitiones ac potentiæ sunt in hac materia sublunari, ut aliâs docuimus. Itaque jam explicatum habemus, quid sit id in quo ratio causæ finalis sita sit. Verùm quatuor sunt, quæ hîc difficultatem faciunt, primum, an verum denotet aliquid quod sit prius bono? deinde, an finis significet habitudinem, an quippiam absolutum? adhæc, an ratio causæ finalis sit appetitio? postremò, an aliquod divinum in causa finali comprehendatur? Quæ ut diluantur, animadvertere licet, id quod est in potentia ad esse, non dici tale, ex secundo Physicorum, nisi cùm est in actu. Quare basis ac fundamẽtum rei est actus; nam ens in potentia dicitur simile enti, non autem ens. Cùm igitur actus sit fundamentum, obtinet multas rationes,

nam forma ut est causa quare res sit, nuncupatur actus; ut verò completum esse tribuit speciei, habetque omnia ea quæ ad speciei essentiam requiruntur: dicitur veritas rei, ac propterea aurichalcum, non dicitur verè aurum, sed simile auro, quia non habet omnia, quę ad eã speciem requiruntur. Atq; ut habet rationem termini, ac finis perficientis, subit rationẽ boni. Amplius ut in eo appetitio acquiescit, vocatur appetibile. Deniq; ut per formã Diis similes evadimus, dicitur habere quid divinum. Quocirca appetibile nõ denotat rationem finis, sed sequitur boni rationẽ, ob quã cuncta reddũtur bona ac perfecta. Unamet igitur res appellatur bona, vera, appetibilis, & divina, atq; eapropter has proprietates uni tribuit Aristot. cùm ait, existente aliquo divino, optimo, & appetibili, quẽ Simplicius quoque insequitur. Atque hæc non modò Diis convenire, verùm etiam formis, quę natura oriuntur, & occcidunt, ait Maurus Averroës 9. Metaphy. Porrò verum sequitur ens in actu; sed quia addit aliquid enti, nempe aptitudinem quandam, iccircò dixit idem Averroës quinto ejusdem primæ Philosophiæ, quæstionem de vero esse de accidẽte. Nolim autem hæc intelligas de veritate orationis & propositionis, nam de ea alibi fiet mentio: sed de vero, quod videtur esse passio,

aut

aut ſynonymum enti: cujus veri ratio bonum antecedere putatur. Quibus ſic explicatis, intelligi poteſt quid ſit, quare Averroës dixerit, bonum eſſe in rebus, & verum in mente. Siquidem intellexit de vero, quod eſt affectio orationis, non autem de vero de quo eſt præſens ſermo, quod denotat rei perfectionem, quodq; dividitur ac diſtinguitur à veriſimili. Atque ita omnes nodi ſolvi facilè poſſunt, & primùm aſſerẽdum, quòd ratio veri rationem boni pręcedit: deinde, quòd finis ut eſt terminus, atque ultimum, habitudinem quandam ad ea, ad quæ ordinatur, denotat. Poſthæc, quòd appetitus non circumſcribit finem, ſed ut quieſcere facit, & ut bonus habet rationẽ appetibilis. Quare cùm hæc ratio appetitus omnes priores includat, Latini aſſeruerunt, quòd per hãc rationem finis deſcribitur. Denique quòd per formam Diis ſimiles reddimur. Sed quo pacto hæc ratio in rebus ſublunaribus reperiatur, ſatis in libro de mente humana aperuimus. Atque hactenus de fine agentium naturalium: jam ad ea quæ per cognitionem & electionem ajunt, tranſire oportet.

An idem ſit agens, quod per electionem, & quod per cognitionem agit?

CAPUT VII.

Quod

QUod finis agentis dispositionem nobis indicet, icircò hæc quæstio jam interponitur, quæ investigare cupimus, nunquid agens per electionem & per cognitionem sit idem, quæ sanè haud erit inutilis ad ea intelligenda quæ de causa efficiente dicentur: quandoquidem Philosophus in hac scientia id habet loco axiomatis, quod natura propter finem ac per se agat, neq; putat id indigere demõstratione, nisi propter antiquos, qui omnia ob materiæ necessitatem evenire asseverabãt. Adhæc sciendum est, quòd multa cognoscentia agunt, quæ tamen agere ex electione haud affirmamus; veluti apes, hirundines, vulpes, ac cætera animantia rationis expertia, agunt quidem, non tamen ob finem quem antea conceperant. Siquidem in iis artium imagines quædam conspiciuntur, non tamen ars, aut artificialis cognitio. Dixit enim Philosophus octavo de historia animalium, quòd in brutis reperiuntur humani animi imagines, & artium: non autem artes, quod non agant, ut diximus, ex fine, quem antea conceperunt. Sic quædam quæ pollent memoria, hominibus assimilantur: nihilominus iisdem uti artibus haudquaquam affirmabimus, licet similibus concedamus: ut quæ vocem humanam exprimunt, usu ac memoria id faciunt, ut prolixius docuimus primo pri-

mæ

mæ Philoſophiæ. Proinde de eo quod agit ex propoſito & inſtituto, diſſerendum eſt. Neque in præſentia quæſtionem illam agitabimus, utrum aliquid ſub ratione mali nos moveat: quoniam jam paſſim receptum eſt ab omnibus, nihil movere intellectum practicum, niſi bonum vel verè, vel apparens, veluti infrà etiam monebimus. Verùm eam aggredimur, in qua non ignobiles Philoſophi diſſentiunt, nempe an finis moveat ut eſt extra animam, vel ut eſt in anima cognoſcente. Quæ quæſtio quò commodius à philoſophiæ ſtudioſis juvenibus intelligatur, ſcire licet finem vocari id cujus gratia agens agit, & ad quem cuncta ordine quodam diriguntur. Hìc duplicem obtinet rationem cauſæ: nam ut eſt in anima, dicitur appetibile quiddã, obtinetque rationem cauſæ agentis, & moventis, quoniam movet appetitum ac deſiderium ſui excitatum; qui appetitus animal movet. Atq; eam ob rem appetitus eſt magis propinqua cauſa motus animalis: nam appetibile ut cõmovet animal de otio ad laborem, movet motu Metaphoricè dicto, quod ſit in anima: neque hæc eſt ratio cauſæ finalis, ſed ſubit rationem agentis: Ut verò habet rationem finis, terminat: ac ut bonũ quod in hoc effectũ ac termino deprehenditur, eſt id cujus gratia cætera fiunt. Itaque ratio cauſandi cauſæ finalis,

lis,

lis, eſt bonum cujus gratia reliqua obeuntur, quod cognitum ab animali movet ipſum ex otio ad laborem, motu, ut dixi metaphorico, atq; ut habet rationem boni extremi, appellatur finis, ob quem operatur. Id quod de formis materialibus ajebat Averroës, quòd ut ſunt in mente artificis, monent illum motu metaphorico; ut verò ſunt in re, habent rationem finis. Aliæ formæ materiæ expertes, utpote exiſtentes, obtinent rationem finis ac moventis.

Ac ſcire licet, quòd formæ materiales cùm non ſemper ſint, non in eodem eſſe has rationes principii patiuntur: ſed formæ immateriales ſunt æternæ, ſuntq; fines primò ſuarum actionum, & ſecundum idem eſſe movent. Quapropter in dubium vertitur, quo pacto finis, gratia cujus hæc fiunt, cùm priusquàm motus agẽtis perficiatur, nõ exiſtat actu, poſſit dici cauſa. Siquidem quod nõ eſt, nõ eſt appellanda cauſa, quòd nullum cauſæ modum aut rationem habeat, ſed bonum, quod ſibi proponit agens, non eſt extra, ſed ſolùm eſt in anima moventis (puta bonum, propter quod ædificator ædificat domum, nempe ut prohibeat à frigore, non eſt) quare in nullo genere cauſę cenſeri debet. Cęterùm reſpondendum eſt, quòd id quod in agente neque actu eſt, neq; in potentia, nequit ut eſt in ani-

ma

ma movere agens motu illo metaphorico; neque poteſt eſſe id gratia cujus omnia fiunt, quæ eſt vera ratio cauſę finalis: at id bonum quod movet, eſt in virtute cauſæ agentis: atq; id experientia comprobatur: nam ſi eſt quoddam bonũ, quod nõ ſit in virtute agentis, non poteſt eſſe id bonum, cujus gratia operatur agens; quòd id, quamvis ſit appetibile, haud moveat ad actionem, puta imaginatio multi auri, quòd non eſt in facultate agentis inquirere, etſi ſit appetibile, atque agens delectet, tamen non eſt principium ut agens ad actionem aggrediendam de otio ad laborem moveatur, quòd id bonum non ſit penes nos, neque in noſtra poteſtate. Quòd ſi inſtes, ac dicas rurſus movere id quod eſt in actu: dicendum eſt hoc competere fini quatenus eſt cognitus, nõ autẽ ut bonũ cujus gratia cætera fiunt, quæ eſt ratio cauſæ finalis, & eſſe in anima ſatis eſt ut moveat affectum in agente: qui motus, ut diximus, non eſt verus, ſed anima: quem Averroës nominavit metaphoricum. Sed ut eſt bonum, gratia cujus omnia fiunt, neceſſe eſt ut ſit in facultate agentis, quo poſſit agentis operâ in lucem prodire.

Sequitur ut alium quoque nodum ſolvamus, qui hac ratione nectitur: ubi ſunt cauſæ & principia alicujus effectus, ut ipſe producatur, debent illa unâ eſſe. Sed finis qui eſt acti-

actionis terminus, nequit cum aliis principiis, quæ ad hunc effectum producendum præcedunt, concurrere: ergo videtur non posse aliquo modo esse causa, cùm non possit præcedere, & causæ proprium sit, ut sit prior. Sed hanc ita diluimus, quòd finis ceu antè cognitus, cum aliis principiis præcedat: sed ut id, cujus gratia cætera fiunt, præcedit virtus agentis, in qua est id bonum, cujus gratia artifex operatur, atque id esse in ejus facultate, satis est quòd præcedat secundum hoc esse: atq; ubi hic finis productus est, desinit motus. Itaque id bonum, quod est in re, terminat actionem, explicatque quid fuerit id, ob quod cætera in lucem prodiere, aut formata fuere. Verùm ne in hac causa decipiaris, scire licet, quòd ex causis quædam præcedunt effectum, quatenus habent facultatem agendi vel recipiendi eum, cujusmodi sunt materia & efficiens: aliæ, puta forma ac finis, non debent præcedere, sed cum effectu generando sunt simul. Cùm enim effectus genitus est forma & finis (qui nihil aliud est quàm forma, ut docet Aristoteles primo de generatione animalium, licet ratione distinguantur) est una cum effectu. Cæterùm, cùm ratio causæ finalis est extra rem, necesse est ut aliquo modo prior sit; qui modus nihil aliud est quàm quędam conditio, quæ fini competit, ut prior sit
effe-

effectu, quod non est id cujus gratia movet agens, sed est conditio finis, qua movet agens de otio ad laborem. Igitur ut insequitur formam est id cujus gratia omnia operantur: ut verò prior est, subit modum alterius causæ, puta moventis animal ad aggrediẽdum motum, quæ non est conditio causæ finalis, nisi quatenus præcognoscitur: hęc autem præcognitio nulla est in agente naturali, ut diximus: cùm in eo solùm sit facultas quædam agendi & producendi finem, cujus gratia cætera fiunt. Atque hæc de causa finali satis sint.

An omnia bonum expetant.

CAP. VIII.

PErquàm difficile est cognitu, & intellectu, num omnia bonum expetant, quandoquidem cernimus patrem flagitium aliquod patrantem, eniti ut ab ejusmodi filium arceat & cohibeat, quasi id ipse detestetur, & detestandum esse filio persuadeat. Quod cùm ita sit, mirum est, quare Philosophus primo moralium ad Nicomachum dicat, omnia bonum appetere. Quapropter Alexander opinatur, esse quosdam qui malum expetant & affectent, idque sub ratione mali. Quod ratio quoque suadere videtur, nam cùm appetitus nihil aliud sit quàm voluntas: & desiderium

ſit actio voluntatis; cumq; voluntas noſtra in utranq; partem propendeat(eſt enim libera, ut communiter affirmant, poterit æquè malum ſub ratione mali, ac bonum expetere, cùm utrũq; in ſua ſit poteſtate. Præterea, cùm quis appetit, eo caret quod appetit, alioqui appeteret quod haberet, quòd ſi caret eo, ergo appetit habere. Quare carentia & privatio eſſet ratio appetitus, cauſaque ſuę deſtructionis: quandoquidem appeteret id, quod ſimul atq; haberet, non eſſet amplius privatio.

Atqui ut hæc diluantur, & veritas innoteſcat, primùm animadvertere oportet, quo pacto tria hæc, appetitus, amor, & amicitia inter ſe diſtinguantur. Appetitus fertur ad aliquod, ut ſuprà dixi, quod habet rationem boni in quo acquieſcat, & perficiatur: atq; id bonum perficit naturam vel ſenſum, vel mentẽ ac deſiderium rationem ſequens, quam diviſionem latini nuncupant naturalem appetitum ſequentem naturam, vel ſenſum, vel mentem, qui nihil aliud eſt quàm voluntas. Itaq; in eo qui appetit, imperfectio quæpiam cognoſcitur: quandoquidem non appeteret, niſi aliquo opus haberet, cujus indigentia excitat appetitum. Quam dictionem ſi ad materiam medicam velimus contrahere, eſt triſtis ſenſatio in ventriculo, licèt & ad omnia animalis membra extendatur, quæ ad nutrimentum

tum ſuum, tanquam ad ſuam perfectionem inclinantur, quo animal vivit: totius igitur animalis appetentia eſt in ventriculo, atque in ea potiſſimùm ventriculi parte, qua ſenſus viget, nempe in ejus orificio; qua cùm animal privatur, naſcitur ea quæ dicitur inappetentia. Adhæc ſcire licet quòd omnia quæ hominis appetentiæ objiciuntur, offerunt ſe ſub ſpecie boni vel apparentis, vel delectabilis, vel utilis, aut honeſti: ſive id ſit bonum animi, ſive corporis, ſive fortunæ, quare omne bonum ſub una ex his rationibus ab homine perpenditur. Amor autem, ut ab appetitu ac ſpe ſecernitur, eſt quædam animi paſſio rei præſentis ac poſſeſſæ. Amicitia verò eſt habitus & benevolentia non latens inter amicos, ut latiùs libro octavo Ethicorum docet Ariſtoteles.

Sunt complures qui non diſtinguant inter ſpem, deſiderium, & amorem: vocantq; amorem id quod ſummo ſtudio expetitur. Sed ſi rectiùs res examinetur, aliter ſe habet: nam amor eſt paſſio, quæ proficiſcitur à re quæ poſſidetur: quæ potiùs cum fruitione convenit, quàm cum deſiderio: atq; id quod illi voluerunt ſignificare, eſt concupiſcentia in rebus naturalibus, quam ſemper comitatur appetitus: atq; eã ob rẽ in his rebus caducis ſemper conſequuntur amorẽ ſpes, appetitus, deſi-

derium, & timor: at in amore rerum intelligibilium est certitudo sine timore, quem fides parit, ac objecti immobilitas & veritas. Est præterea aliud sciendum, quòd homo per electionem, aut artem, duos sibi proponit fines: quorum unus se habet ut domus in ędificatore, qui relinquit domum factam: alter est operatio, qualis est modulatio. Verùm cùm una eademq; res duos patitur fines, opus scilicet & operationem: semper operatio opere est præstantior, quia opus fit gratia operationis sequentis opus. His ita explicatis, ut quæstio è medio tollatur, multa ad ejus solutioné sunt adducenda: primùm, quicquid ab homine expetitur præter Deum, cùm non sit undique perfectum, in eo aliqua ratio mali reperitur: idque vel quia bono privatur vitio sui, vel quia natura ob suam infirmitatem ejusmodi bonum non perfert. Id enim ita se habere in omnibus quæ sunt infra Deum, liquidò constat. Deinde homo per rationem futurum prævidet, & per sensum præsens cognoscit, quapropter ait Aristoteles tertio de anima, in nobis esse cõtrarias appetitiones, neq; semper simul idem appetere, neque quovis tempore eodem oblectari, nam quod nunc arridet, id paulò pòst displicere sentio. Quibusdam videtur, quòd id quod aliquibus placet, non sit undiquaque bonum, vel delectabile,

bile, vel honestum, vel tantę voluptatis, quã-tæ est aliquod aliud, quod illis arridet magis. His sic constitutis facillimum est quæsito satisfacere: nam cùm in dubium vertitur, an omnium finis sit bonum, vel qua ratione Aristotelis dictum, quòd omnia bonũ appetunt, sit intelligendum: responderi debet, quòd sub ratione boni, vel quòd delectet, vel utile & bonum est, movet nostram intentionem. Quare non possum probare eorum interpretationẽ, qui per bonum intelligunt id quod per se bonum est, qui est Deus Opt. Max, quique quòd nulla in eo inveniatur imperfectio, omnem rationem possidet boni. Quamobrem non vulgares Theologi dixerunt, Deum non posse odio haberi, quòd nullam habeat rationem, ob quam illum odio prosequamur. Atq; iccirco quoque inquiunt, quòd nostra appetitio ac voluntas necessariò feratur in Deum, licèt quod ad alia pertinet, penes nostram voluntatem sit ea fugere vel persequi. Verùm quomodo hæc sint intelligenda, in libro, An homo volens bonus vel malus fiat, satis discussimus: nunc iis non est locus.

Ad id autem quod dicitur, patrem facinus aliquod facientem, ab eo filium deterrere; dico, quòd hæc duo, nempe committere flagitium, & filium ab eo tanquam malo dehortari, possunt simul consistere: nanque sensus

comprehendit aliquod esse delectabile ac voluptuosum, quod ratio malum & pravum esse judicat. Qua ratione detestatur id quod ipse committit, niticurq; inde avocare filium, vel quod metuat, ne ejus animus nimiùm ad id proclivis verecundiæ limites pertranseat; vel ob alia quæ inde enasci emanareque possunt. Illi porrò quod secundo loco objiciebatur, respondemus, quòd quamvis voluntas vel intellectus possit in utramq; partem propendere, quę ut sunt pręsentia, sub aliqua boni specie sint causa appetitionis, nihil tamen mali, nisi ut evitetur majus malum, expetitur: atq; id minus malum in præsentia loco boni capimus: quemadmodum & medici minus frigidum interdum calidum vocant, & minus calidum frigidum.

Deniq; postremæ objectioni ita occurrere licet, quòd in natura, in qua est alicujus rei carentia, duo sunt consideranda, subjectum, quod perficitur eo quo caret, & carentia, vel non esse ejus rei, quę perficit: & quamvis illud non esse appetat esse (alioqui unum contrarium alterum expeteret) attamen subjectum propter id non esse, pendet ad id quo caret, quò perficiatur. Atq; ita primo Physicorum intellexit, cùm inquit, fœminam apperere virum, & turpe bonum. Proinde ex his intelligi potest, quo pacto finis semper sub ratione boni movet agens.

De causis rerum naturalium efficientibus.

CAP. IX.

IN tractatione rerum naturalium, qua causas investigare nitimur, operæprecium est primùm omnes causarum modos exquirere, & quæ sint ab arte excludenda cognoscere. Porrò sufficientem causarum divisionem duplici via venari possumus: aut universali modo, quemadmodum Logicus, & primus Philosophus, atq; hoc ut respõdere possimus ad interrogationem, qua quæri solet, quare res aliqua sit: vel eo modo quo Arist. docet numerum quæsitorum ex numero eorũ, quæ verè scimus. Sed naturalis Philosophus cùm pertractet de substantia ut movetur, quærit causas per quas oritur, & est. Omne autem q; movetur quatuor habet causas, illas per quas est, materiam scilicet & formam, quæ sunt partes substantiæ rei; & præterea efficientem, ac finem: quare quatuor causæ rerum naturalium sunt investigandæ. Cumque de fine, materia, ac forma, quantum quidem ad Physicum spectare videtur, tractaverimus: reliquum est ut de efficiente, cujus ope res fit, pertractemus.

Sed primùm hîc inspiciendum est, quas divisiones hæc admittat. Arist. eam in sex par-

tes distraxit, quas Grammaticus in secundo Physicorum etiam recenset, in causam per se, & per accidens, in simplicem & compositam, in propinquam & remotam: quas omnes deinde divisit per actum & potentiam, voluitq; has sectiones omnibus causis efficientibus convenire. Verùm hìc statim sese offert dubitatio multiplex: primùm, cur Philosophus non diviserit eodem modo effectus naturales, cùm easdem sectiones admittant: dicitur enim effectus per se & per accidens propinquus & remotus, simplex & compositus, & in actu ac in potentia. Deinde cùm possumus assignare unum genus causæ, quare non assignamus plures? puta quòd illa causa sit particularis, simplex, & per se, vel aliis modis. Adhæc, quod profectò non minus dubium esse videtur, cùm simplex & compositum non sit penes rem, sed penes modum loquendi, cur Aristoteles hunc modum posuerit. Quibus sic mihi satisfieri posse videtur, & primùm primæ, quòd quamvis in effectibus naturalibus hæ divisiones reperiantur, attamen non sunt media quædam ad cognitionem scientificam, licèt causæ, in quibus hæ inveniuntur, sint causę rerum naturalium scientificę. Quare Aristoteles per hypothesin has divisiones in effectibus reperiri sumens, argumentatur eas simili quoque modo in causis inveniri:
nam

nam cùm videmus aliquos effectus fieri temerè, arguimus de causa quænám sit, cognoscimusque ita eam non posse esse nisi per accidens, effectus enim haudquaquam esset temerè, nisi causa esset fortuita, & à casu.

Cognoverunt autem Philosophi causam esse per accidens, & effectum à casu, quòd hic sit in paucioribus, & illa rarò ejusmodi quippiam efficiat. At verò effectum & causam per se deprehenderunt, quòd tam effectus quàm causa vel semper vel in pluribus eveniat: causam verò propinquam vel immediatam esse dicimus, inter quam nihil intercedit medium, quod postremò producat: eã contrà mediatam, cùm aliæ aliquæ causæ intermediæ intercedũt. Verùm scire licet, quòd effectus dicitur mediatus, quando intervenit alius effectus, qui causæ propinquior ac immediatior est. Porrò cùm hæc extrema intelligit Philosophus per se, & per accidens, tunc rectè componit causam per se & per accidens, & vel per accidens, vel per se. Eodem modo alias quoque divisiones contingit per effecta in causis reperiri. Secundæ verò dubitationi responderi debet, quòd etsi aliquando plures causæ reperiantur, exempli gratia, quòd sit per se particularis, & in actu: attamen hæ proprietates ratione secernuntur. Atque id quoque sensit Philosophus, cùm dixit, quòd hæ

proprietates ratione ſint diverſæ, quamvis in una eadamq; cauſa coincidant.

Cęterùm his dictis ſe ingerere videtur difficultas, quo pacto hoc apud Philoſophum ſit intelligẽdum, quòd cauſa particularis & in actu ſit ſimul cum effectu: & quomodo duodecimo primę Philoſophiæ dixerit, quòd forma ſit ſimul cum eo cujus eſt forma, quodq; agens prius oriatur. Cui occurri facilè poteſt, modò intelligamus quæ ſit differentia inter formam & agens in actu: res enim ea quæ agit, prior eſt tempore effectu, quem depromit ac producit. Cùm verò dicitur, quòd agens eſt ſimul cum effectu; intellige, quando agens actu producit effectum: nam neceſſe eſt ut effectus ſit unà cum cauſa, quando generatur: licèt cauſa poſt effectum poſſit abeſſe ac deficere.

Quòd ſi hìc mihi objeceris, quòd, ut ſæpe evenire ſolet, pater emiſſo ſemine occidit, & tamen filius & embryo fit: quare non videtur cauſa eſſe unâ cum effectu quando gignitur? Dicendum, quòd hìc ſit cauſa quæpiam quæ propinquior & immediatior eſt patre, nempe ſemen, cujus virtute fit generatio, quod, ut docet Ariſtoteles duodecimo primæ Philoſophiæ, & ſecundo Phyſicorum, rationem inſtrumenti obtinet: quod nos etiam ſæpe aliàs docuimus. Porrò forma nõ modò dicitur

unam

unà esse cum composito, verùm etiam unà cum cõposito oriri atq; occidere. Agẽs quidẽ proximũ ac immediatum simul est: sed forma simul est & occidit. Tertius verò nodus suprà propositus sic dissolvetur: quòd cùm volumus causam assignare; sæpe usuveniat, ut simul causam per se, ac per accidens, atq; interdum simul multas causas reddamus. Neq; solùm id accidit circa modum dicẽdi, sed circa res ipsas, ut cùm causam reddere cupimus, secundum unius causæ modum, plures causas assignemus. Atq; de divisione hactenus: ex quo etiã patet, quid de effectibus sit dicendũ.

Utrùm cùm reddimus rationem alicujus effectus naturalis, per quam generatur scientia, opus sit omnes causas per se reddere. CAP. X.

COmmunis quæpiam de scientia in genere & simpliciter adferri solet distinctio, ad hujus nodi solutionem: ea tamen nũquam mihi arrisit. Ajunt enim naturalem non adferre omnes causas per se, quòd ultimus finis primaque forma (ut Averroës quoque primo Physicorum sentire videtur) in scientia naturali non demonstrentur; quòd duas eas causas Metaphysicus inquirat: nam prima forma non cognoscitur per formas

na-

naturales, ut ſunt naturales, ſed per formas quatenus rei perfectionem denotant: quia ſolus primus Philoſophus agnoſcit formam ut rei ſubſtantiam, quemadmodum Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſicorum docuit. Atque iccirco inquiunt, non eſſe munus naturalis Philoſophi inveſtigare primam formam, ut forma eſt habitu naturali, ſed mixto, quo modo etiam finem cognoſcit: nam finis ut eſt ultimum, & rei bonum denotat, ad primum ſpectat Philoſophum: quod verò ad efficientem cauſam pertinet, quoniam motus primus, quem naturalis ſecũdum omnem rationem debet cognoſcere, eſt motoris effectus: iccircò naturalis habet evidens medium, ut deducat concludatque aliquam eſſe ſubſtantiam immobilẽ: quemadmodum Ariſt. octavo Phyſicorum tradit. Itidem primus Philoſophus cognoſcit materiam ut ſubſtantiam, & potentiã, velut ſuprà monuimus; ſed quod ſit ſubjectum tranſmutationis generabilis per accidens, & æterna per ſe, ſolus novit naturalis, ut Averroës octavo primæ Philoſophię declaravit. Ex quibus aſſeritur, omne genus cauſæ intelligere Metaphyſicum, licèt magis abſtractè, tum medii, tum rei intelligibilis ratione: quare ut rationes ſint abſtractiores, id ad illum ſpectabit. Cumq; ratio motoris non abſtrahat a motu, veluti finis formæq;

næque ratio, iccirco hæ magis aſcribuntur primo Philoſopho quàm naturali. Quare Ariſtoteles à cauſa finali concluſit duodecimum primæ Philoſophiæ verſu Homerico, inquiens:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω.

Quo probat unum eſſe principem. Idem quoque aſſeruit octavo Phyſicorum, medio uſus naturali, nempe quòd ſit aliquod, quod ita movet, ut nullo modo moveatur. Quamobrem primus Philoſophus dicitur conſiderare altiſſimas ac primas cauſas, ad quas particulares omnes diſſolvendo deducit, neque alibi conſiſtit prius quàm ad eas pervenerit, & iccirco ejus ſcientia dicitur ſapientia. Dialecticus quoq; ac logicus ſubſtantiam ac formam ſpeculatur, ob id quòd quæſtiones de primis principiis dant eſſentiam rerum, & quidditates adferũt pro reſpõſionibus. Quapropter aſſerendum ſentiunt, quòd etſi cognitio exquiſita, quæ per cauſas per ſe habetur, verſetur in certo ſcientiæ genere, puta naturali, aut mathematico: non tamen ſimpliciter, hoc eſt in univerſum, quòd ea ad ſapientiam ſpectet, ut ſexto Ethicorum & primæ Philoſophiæ tradit Ariſtoteles.

Cæterùm ſe offert hìc non levis difficultas, num ratio moventis ſit eadem cum ratione agentis, & alterantis. Putarunt quàmplurimi,

rimi, quòd movens, ut reſpicit eſſe effectus, non per modum producti, ut cum illis ita loquar, vocetur efficiens: ut verò reſpicit effectum ceu productum, appelletur movens: atque ut eſt corpus per primas qualitates alterans, nominetur primùm alterans. Ex quo concluditur, Deum eſſe creantem, ut reſpicit productum ſine ſubjecto: & primum movẽs, ut hæc omnia inferiora ſuo motu gubernat: & primum alterans, ut eadem hæc caduca motu & lumine alterat.

Cæterùm quoniam hæc non ſunt peripateticè dicta, primùm videamus, quę fuerit hac in re Ariſtotelis ſententia; deinde rationibus reſpondeamus. Atque ut res ab ovo intelligatur, neq; ullus poſthac relinquatur dubitandi locus: ſcire licet, quòd apud Philoſophos laliùs patet movere quàm agere; licèt apud poſteriores horum propria ſignificata confundantur. Nam agere propriè dicunt (ut videre eſt primo de generatione, capite de agere) quę calefaciunt, refrigerant, ſiccant, & humectant: movere verò, de omni motu, ac potiſſimùm loculi, dicitur. Dicimus quidem Deũ & intelligentias movere, non tamen propriè alterare, quandoquidem hoc eſt corporis, & primùm competit cœlo. Cœlum enim nũcupatur primum alterans, & intelligentiæ ſunt principia, unde motus, atq; hoc in univerſali.

Ne-

Neq; eſt illud primum efficiens diſtinctum à primo movente: quoniam nulla eſt concedenda productio, niſi per motũ. Græci ſanè recentiores quidam verbo ποιεῖν, quod eſt facere, uſi ſunt pro creare, id tamen non eſt Philoſophicum, neq; antiquioribus ita uſitatum: ſacra quinetiam ſcriptura eodem modo utitur, licèt potius utendũ eſſet verbo κτίζειν, pro creare, quàm ποιεῖν, aut Deus pater dicendus eſſet factor cœli & terræ, non autem creator. Cæterùm Theologi qui dentati ſatis probè ſunt, trahunt detorquentque nomina ac verba quò lubet. Ariſt definiens cauſam, quam ipſi vocant agentem, inquit, principium eſſe unde motus: nam quod fit, & in rebus novum eſſe capit, neceſſe eſt ut per motum eſſe accipiat: cui motui ut aliquid quoq; ſubijciatur omnino neceſſum eſt. Quamobrem Ariſtoteles libro octavo Phyſicæ auſcultationis, cupiens confirmare, omne quod fit per motum fieri, aſſumpſit ceu proloquium, motus definitionem, ex qua conficit, omne quod fit prius, eſſe in potentia, nam id neceſſariò effectum præcedit. Quare ſi omne quod fit, opus habet aliqua motus ſpecie, neceſſarium eſt ſubjectum quod ſit in potentia ut fiat, atq; ita Philoſophi qui introducunt creationem vel productionem quampiam citra motum, deviant à peripateticis principiis.

Ne-

Neque te decipiant quornndam distinctiones, quòd latiùs pateat potentia & actus, ut à primo Philosopho consideratur, quàm quæ fiunt per motum, ut Aristoteles octavo Metaphysicorum tradit. Siquidem id nihil facit ad hoc propositum: nam censet Philosophus, quòd nomen actus & potentia, ut à primo Philosopho consideratur in plus esse: quoniam talis potentia & actus ad plura se extendit: non tamen quòd reperiatur actus quispiam, hoc est, aliquod agẽs citra motum, hoc enim ridiculum est, nimisq; puerile, velle per eam Philosophi authoritatem (quod tamen quidã facere conantur) demonstrare esse aliquod agens sine motu: quare ab ejusmodi est cavendum; sunt enim deceptiones ac imposturæ potiùs quàm disciplinæ, quas cucullati hi adferunt, ut dicemus in quæstione de creatione, in prima Philosophia: & aliâs prolixè disputavimus octavo Physicorũ, cõtra Grammaticum. Proinde dicendum est, relationem agentis nullam esse, nisi ad passum, atque ad id quod accipit suum esse per motum: & ex quatuor causis, ut à naturali considerantur, duæ, nempe agens & finis, respiciunt motum: & duæ reliquæ, puta materia & forma, effectum. Quare agens ut à Physico consideratur, non respicit proximè atque immediatè ipsum esse effectus: neque finis, ut terminat

mo-

motum, quoniam in mobilibus non est verè finis, ut Averroës sæpe docuit. Primus Philosophus potest quidem secundùm rationem abstrahere movens, ut efficiens: & productũ, ut factum: & formam, in quantum substantiam, itidem & materiam: sed in re sunt tantùm causæ, agens & finis, moventes; materia verò, & forma, per motum constituunt esse rei. Non igitur reperitur efficiens, neque factum, sine motu, ut audies in prima Philosophia: neque Joan. Gramm. & Simpli. intelligunt quid sit verè creatio, quæ ita nostris Theologis nuncupatur. Neq; audiendus est abstrahens secundum rationem, quasi ita sit in re, multoq; minus ea admittenda sunt, quę adferunt de simplici emanatione: siquidem longa via aberrant: nam simplex emanatio non est actio aut passio, per quam aliquod accipit esse, sed nihil aliud est quàm conservatio potentiæ, qua aliud agit & patitur.

Neque velim imponerent verba Averrois primo de cœlo, quæ videntur asserere, cœlum dependere alia dependentia quàm per motum, hæc enim sunt frivola, ut disces ex prima Philosophia, & infrà: nam emanatio, ut usurpatur Philosophus, est quando aliquod principium infundit alicui & tribuit potentiam & facultatem, quomodo à cœlo in hæc inferiora videntur virtutes emanare: à cœlo, inquã,

tanquam artifice, & in nos, ceu instrumentâ cœli: sic & medici è fontibus principalibusq́; membris facultates ad sua organa emanare dicere nonnunquam solent: neq; aliter intelligere licet, veluti audies. Cœlum igitur est primum alterans, primumq́; agens naturale, quod ex primo movente, & non moto cõponitur, qui sanè à naturali & primo Philosopho cognoscitur: verùm à naturali, motor ut cœli pars agnoscitur, eumq́; per motũ declarat. Atq; id cœlum hæc inferiora ceu artifex alterat, & gubernat, ordinisq́; est causa: sed quædam immmediatè movet, veluti elementa, elementorumq́; passiones, ut dictum est libro Meteororum: quædã verò mediatè. Adhæc propter diversos motus, quibus cietur, jam ortus ac interitus & perpetuitatis est author: nam motu suo in circulo obliquo, novarum generationum ac corruptionũ est causa, authorq́ue, quare hæc vicissim oriantur ac occidant, motu autem fixarum stellarum, æternitatem facit: quemadmodum libro secundo de cœlo, & secundo de generatione docetur: & quamvis utroq; motu æternitatem sibi proponat, eamq́; spectet, tamen per motus planetarum videtur agere finitatẽ, quoniam excitat motus generationis ac corruptionis finitos, per motum verò stellarum inerrantium, res continuæ sunt, quare æterni-

nita-

nitatem faciunt. Itaq; nõ uniformiter res recipiunt influxus à cœlo, atq; ejus rei causa est materia, propter suam ἀοριστίαν, & indeterminationẽ, de qua suprà satis superq; jam loquuti sumus: nam à materia provenit, quòd res naturales sint in pluribus, & nõ semper, sitq; in illis fortuna, temeritas, ac contingentia, quemadmodũ sexto primæ Philosophiæ monuit quoq; Arist. Habes ergo, quomodo in hoc mundo sensibili omnia à cœlo, ut causa universali, finem & perfectionem suam adipiscantur: semperq; hic mundus sensibilis secundum partes generetur, non tamen secundum totum, quod careat cõtrario, totaq; sua materia constet, ob quam etiam unum est, ut statuit Philosophus primo de cœlo. Est & unũ cœlum, ac unus princeps: quòd optima entiũ dispositio unum principium requirat. Neq; fas est dicere, cœlum in meliorem statum potuisse commutari. Quinetiam confitendum est, intelligentias ac Deum per cœlum providere huic mundo inferiori: quòd ipse in suis partibus, quæ providentia opus habent, sensibilibus mutationibus sit obnoxius. Cœlum verò, hoc est corpus orbiculare, non habet ea opus, quòd uno eodemque modo semper se habeat: nullaque in eo accidit temeritas, quod materiæ expers sit, quæ, ut diximus, temeritatis est causa. Est ergo cœlum medi-

um quoddam corpus, quo infera superis ne-ctuntur, & à quo omnis inferior virtus depẽdet. Verùm respectu aliquorum, utputa quarundam elementorum affectionum, quas in libro Meteor. aliàs enarravimus, est causa particularis, hoc est, est proxima & immediata efficiens causa: at totius mundi sensibilis est causa universalis, quoniam Sol & homo generat hominem, ut docetur secundo Physicorum. Concurrit & ad generationem muscarum, vesparum, apum, & plantarum, ceu artifex intercedente instrumento, quemadmodum in particularibus generationibus explicabitur.

Sed hìc emergunt non modicæ difficultates, primùm, unde sumamus necessitatem: deinde, quare dicimus contingentia carere causa determinata, si è materia exoriuntur: deniq; quæ sint quæ subjiciantur fato, quæq; sit generatio fatalibus. Quibus ut satisfiat, scire licet, res quæ natura constant, haud uno se habent modo: quædam enim simplices, aliæ compositæ sunt. Simplices ab utraque ratione sunt, quorum necessitas uniformis est, eodemque se habet modo non secus quàm esse: rebus verò compositis necessitas quidẽ inest per suas causas, non tamen efficientes, quòd præpediri possint. Atque iccirco in rebus naturalibus demonstrationes à causis effici-

ficientibus ad ſuos effectus non ſunt potiſſimæ, quod effectus impediri queant ob materiæ indeterminationem, quæ varias multipliceſque formas recipere poteſt. Porrò autem neceſſitas quæ à materia oritur Philoſophis appellatur neceſſitas ſimpliciter, nullam aliam ob rationem, niſi quòd eſſe rerum naturalium à materia oriatur. Neque aliter aſſerere potuerunt quòd non agnoverint aliam ſubſtantiam, præter materiam. At neceſſitas, quæ proficiſcitur à forma & fine, iis nuncupatur neceſſitas ſuppoſitionis, quòd enim res naturalis in motu ſit id, ut Ariſtoteles quinto de generatione animalium teſtatur: forma verò & finis, ut jam antea ex primo de generatione dictum fuit, eādem ferè ſubeant rationem: iccirco quæcunque neceſſitas à forma ac fine ſumitur, ex ſuppoſitione nominatur, nam quòd dentes anteriores ſunt acutiores, non à materia ſumenda eſt ratio, ſed ab opere, quia incidunt: hæc enim eſt utilitas & finis, cujus gratia dentes anteriores ejuſmodi figuram ſunt ſortiti, atque eapropter ab opere & fine ſumenda eſt neceſſitatis ratio. Quamobrem materia ob id eſt talis, quia deſtinatur ad talem formam, atq; iccirco optimè dixit Alexander, quod ab illo primo de anima Averroēs quoq; mutuatur, quòd mēbra cervi differant à membris leonis: quoniā anima differt ab anima.

Hac ſanè via dirimitur controverſia, quæ dubitari ſolet, an diſtinctio formæ ſequatur diſtinctionem materiæ, an è converſo. Nam cùm forma obtineat rationem finis, ſatius eſt dicere, quòd diſtinctio formæ ſit cauſa diſtinctionis materiæ, ut habet Averroës ſecundo de anima: licèt materia, id eſt pars materialis ſit ſignum diſtinctionis formæ. Quare concluſit Averroës octavo Phyſicorum, quòd ſi homo generaretur ex terra, eſſet æquivocè homo, quia aliã formã aſciſceret. Habes igitur, quòd tota neceſſitas, totaq; diſtinctio ſit à forma, ut deſtinatur ad opus, non autem à materia primò, quemadmodum antiqui ſenſerunt, perſuaſi nullam eſſe ſubſtantiam niſi materiam, veluti ſuprà monuimus, & Ariſtoteles ſeptimo atque octavo primæ Philoſophiæ docet.

Quibus ſic declaratis, patere puto, quòd ab omnibus cauſis ſumi poſſit neceſſitas: attamen à forma, ut finis eſt, capitur neceſſitas ex ſuppoſitione, ex materia verò ſimpliciter. Porrò hic locus expoſcere videtur, ut expendamus, num pluvia, quæ pluit ſub Cane, quę nullam habet neceſſitatem, & quę hyeme, ut frumentum putreſcat, ſit propter aliquem finem. Duobus modis videtur hìc reſpondere Simplicius, primùm, quòd pluvia neque hyeme, neq; æſtate ſibi proponat frumenti pu-

putredinem: sed hoc evenit casu, haud aliter quàm monstra insequantur actionem naturæ: raró enim insequitur pluviam putredo. Deinde inquit, quòd etsi natura videatur hoc casu facere, tamen Deus, qui est natura superior, utitur natura, ut cuncta pro jure & æquo dirigat.

Verùm hæc secunda respondendi via videri possit astruere, quòd Deus cognoscat particularia, cujus oppositũ alibi docuimus. Dicendum igitur puto, quòd hyeme pluvia non generetur temerè, verùm ob id ut humida gignantur: at æstate fit à casu, quòd tunc nulla sit intentio generandi humida, sed potiùs sicca: licèt materia ob suam indeterminationem possit aliam formam recipere. Et quamvis ex ejusmodi pluvia quædam in universo oriatur perfectio: attamen ea non est asscribenda alicui causæ per se: nam quemadmodum dixit Hippocrates secunda sectione Aphorismorũ, his quæ non ex ratione levant, non oportet fidere, neq; multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt, plurima enim taliũ stabilia non sunt, neq; multum durare & permanere cõsuevere: sic neq; laudandus est effectus bonus, cujus causa est fortuita, quomodo Avicenna quoq; ait, rectum ab errore non laudari. Quòd si quæras, an Deus sibi proponat & intelligat frumenti gene-

rationem aut corruptionem: equidem censuerim Christiano veritatem rei agnoscenti ita esse asserendum: verùm Philosophus naturæ vestigia intuitus id negabit, dicetque generationem pluviæ nihil aliud spectare præter incrementum generationemque humidorum, ad quæ, cũ certo tempore fiant, quòd sequatur frumenti incrementum, hoc fit per accidens. At agricola, qui naturæ ministrans eam insequitur, committit terræ semen eo tempore quo utplurimum fiunt putredines. Quare generatio fruměti est propositum artificis, non autem naturæ, sed ejus qui naturæ dispositiones observat & cognoscit, & ad ejus rationem frumentum ex arte disponit. Proinde non putarem ego posteriorem Simplicii responsionem esse peripateticam, & veram, sed artificem per se, non autem naturam aut Deum spectare, & sibi proponere frumenti generationem.

Verùm effert se rursus satis commodus dubitandi locus, utrum monstra sint intenta à natura, ita enim jam loquimur. Quidam senserunt, intenta quidem à natura, sed universali, non autem particulari: nam quòd hic filius, qui gignitur, habeat sex digitos, haudquaquã id sibi proposuit generans pater, sed natura universalis. Quod profectò dictum falsissimum est. Inquit enim Aristoteles quinto de ge-

generatione animalium, quæ non ſunt opera, vel naturæ communia, vel generi ſingulorum propria, horum nullum alicujus gratia aut eſt, aut fit, ſed monſtra, nec ſunt naturæ communia, nec alicui generi propria: Igitur ſunt præter naturæ tam univerſalis quàm particularis intentionem. Deinde etſi id tribuatur materiæ, quòd propter ſuam indeterminationem id efficiat, quemadmodum cætera naturalia ipſi aſſcribuntur, non tamen naturæ aſſcribitur. Morbus quidem & ſanitas conveniunt animalibus, & morbus ſequitur naturam materiæ, & ſanitas formæ eſt comes: non tamen morbum abſolutè dicemus naturalem, niſi cum conditione. Porrò in avibus frequentia ſunt monſtra, ceu in gallinis videre eſt: verùm id accidit ob partus frequentiam ac multitudinem.

Ex his liquet, quo pacto in rebus naturalibus neceſſitas ſit è fine petenda: cumque finis ſit gratia cujus omnia fiunt, ab opere ſumentur partium animalium ac plantarum tum qualitates, tum quantitates: quod in artibus quoque, ut ſeptimo Politicorum declaravit Ariſtoteles, locum habet: navis enim non fit tam exigua, ut ventorum undarúmve impetus ſuſtinere nequeat: nec adeò magna, ut gubernari non poſſit, qualis eſſet ſi longitudine ſtadium ſuperaret; in natura quoq; ſunt cer-

ti fines, certæq; rerum magnitudines, quòd destinentur operi. Et quanquam materia est divisionis subjectum, propter quantitatem, ut deputatur, tamen formis, per quas composita naturalia actiones suas obeunt, habet terminum quantitatis qualitatisque sibi præscriptum, ut aliâs, quando de augmento disputabimus, aperiemus.

Quare si quando exceditur limes ac terminus magnitudinis & qualitatis, id fit præter naturæ intentum, quæ est in rebus ordo ac mensura: nihil enim in natura est inordinatum, ut docet Aristoteles octavo Physicorum. Ratio porrò termini est à forma, ut indeterminationis à materia, veluti suprà quoq; abundè explicuimus. Verùm in dubium vertitur, num quæ fiunt casu, fiant à certa definitaque causa, cùm dicamus ea sequi naturã materiæ, & quæ habent certam causam materialem, habent quoque efficientem: nam, ut inquit Plato, nullus est effectus, quem non pręcedit aliqua legitima causa. Solet pręterea quæri, an detur agens æquale, quod sua natura non magis unum oppositum, quàm alterũ agat. Quare ut hæc explicentur, priùs videndum est quid sit casus, quidvé fortuna: nam hæc causas quidem esse hominum consensus satis edocet: idq; experientia quoq; docet, verùm quo pacto inter se distinguantur, non

ita

ita cuivis patet: & quoniam casus & fortuna inter causas, & nonnunquam inter effectus recensentur, ut propriè nihil aliud sit nisi habitudo quædam causæ ad effectum non intentum, iccircò de utroq;, de causa inquam & de effectu, dicēdum est. Cumq; docuerimus, quatuor esse causarum genera, primùm inspiciendum venit ad quod causæ genus referantur. Profectò non reponentur in materia, quandoquidem fortuna non subjicitur neq; figuratur, nam nō est ipsa subjectum effectus fortuiti, neq; casus temerè eveniētis, ceu pars: esset enim necessaria, essetque pars effectus. Neque est forma, quoniam per formam res sunt necessariò, quòd sit rei pars ac substantia. Adhæc, non est causa ut finis, nam finis is dicitur cujus gratia agens operatur, & propter quem materia movetur. Sed causa haudquaquā fortunæ, aut fortuiti effectus gratia movet: nam fortuna, etsi pro causa accipiatur, tamen non proponit neque intendit effectum productum, neque motor effectum ejusmodi fortuitum tanquam scopum spectat. Relinquitur ergo, ut si fortuna pro causa habenda sit, reducatur ad causam efficientem. Cęterùm cùm causa efficiens per se appelletur ars, electio, natura, ac Deus: causa verò per accidens (sub qua fortuna ab Aristot. collocatur) necessariò reduci debeat ad aliquam earum,
quæ

quæ per ſe dicuntur, deferri debeat, cauſa per ſe ea eſt, quæ ſua natura, ſuaq́ue propenſione agit id quod intendit & efficit, ceu Medicus, qui ſanitatem ſibi tanquam ſcopum proponit, ejus per ſe cauſa eſt. Quòd ſi cõtingat Medicum Muſicum quoque eſſe, ut Muſicus per accidens ſanabit, nam id, ſanare inquam, Medico per ſe competebat. Ita ſe res habet etiam in effectu: nam æger ut æger ſanatur, quòd ſi eveniat, ægrum eſſe Muſicum (cùm accidere poſſit naturæ Muſici ut ægrotet) ſanitas ipſi ut Muſico, erit accidentaria. Porrò cùm fortuna neque inter cauſas, nec inter effectus per ſe recenſeri poſſit: quoniam cauſæ effectusq́; per ſe certa determinataq́; ſunt: fortuna verò, ſive pro cauſa, ſive pro effectu accipias, indefinita incertaq́ue eſt, cujuſmodi ſunt illa quæ per accidens fiunt, fortuna igitur inter cauſas per accidens numeranda eſt. Cæterùm cùm omnis cauſa per accidens ſit alicujus cauſæ per ſe accidens: ſi fortuna inter cauſas locum habere debet, inter eas quæ ex electione & propoſito vel arte agunt, reponenda videtur. Quare fortuna cauſa erit voluntaria, quæ finem quem ſibi propoſuerat, non aſſequitur.

Proinde qui agunt ab appetitu & voluntate cùm fine ſuo fruſtrantur, quem propoſuerant, & alium temerè conſequuntur, aut producunt,

ducunt, dicuntur agere à fortuna: finisq; ita temerè productus, à causa, quæ talem non intendebat, dicitur finis fortuitus. Qui si bonus fuerit, vocatur εὐτυχία; sin malus, ἀτυχία, bona scilicet malaq; fortuna. Porrò casus, si propriè capitur, ac ut distinguitur à fortuna, est causa naturalis, vel natura suum finem, quem sibi proponebat, non attingens: hic autem finis effectus casualis & fortuitus quibusdam nuncupari solet, quòd ejusmodi à natura non fuerit institutus: hic sæpè evenit Chymistis, quoniam flavum sibi colorem proponant facere, purpureum, aut aliquem alium efficiunt. Fortuna itaque est propositum nostrum, cùm ab eo fine, quẽ spectabat, aberrat. Sic casus est natura quæ à suo quoque fine errat. Quare habitudo propositi nostri, aut naturæ, ad finem nõn intentum, appellatur formalis ratio casus & fortunæ. Hinc colligas aliud proprium in casu & fortuna, quòd effectus qui temerè fiunt, rari sint: atque iccirco dixit Aristoteles, esse in paucioribus. Attamen, ne quid ambigas, non quicquid fit in paucioribus, dicimus à fortuna vel casu fieri: licèt omne quod à fortuna casúve fit, rarò contingat: nam labor solis defectusque rarò quidem fit, verùmtamen quòd habeat certam definitamque causam, haudquaquam à fortuna vel casu fieri dicemus, quòd ejus

cer-

certa sit causa, certumq; tempus: atqui effectus fortuitus nec certa est causa, neque ipse certus est.

Quòd si instes, videri rem aliter se habere, dicasq; effectum fortuitum certam obtinere causam, quòd animalis propositum errans sit ejus causa: sic casus natura errans causa habetur. Equidem dixerim, propositum & naturam errantem nequaquam esse certam legitimamq; causam, quòd erret innumeris occasionibus, incidat tam in natura, quàm arte & voluntate. Idem quoq; sentiendum est de effectu fortuito & casuali, qui incertus est, hoc est, nō prefinitus ab agēte, quòd ab eo nō spectaretur: puta siquis fodiens terram, ut arborem plātet, inveniret thesaurū, fodere quidem est plantandi causa per se, inventio verò thesauri est fortuna; cumq; id sit bonum, dicitur bona fortuna. Sin cōtrà mala, si quis fodiens terrā ut plantet arborem, à serpente ictus languet: est quidē hoc à fortuna, quoniā id non erat illi propositū, sed appellatur mala, quòd nocuerit. Quòd si in serpentum copia fodiens à serpente feriretur, haudquaquā id propriè tribuendum esset fortunæ, sed potiùs fodientis temeritati ascribendum, quòd fodiat locum serpentibus abundantem. Similiter si quis equus, pabuli aviditate in locū aliquem cōcesserit, ubi ab hostibus incolumis

eva-

evaſit, naturalis quidem appetitus erat pabuli: attamen fortuna & caſu factum eſt, ut is appetitus ſuæ ſibi ſalutis cauſa fuerit. Nolo tamen te ignorare, caſus nomen nonnunquam cum fortuna confundi, & ſi propriè ſumatur, ab ea diſtinguuntur. Porrò qui definiunt fortunam eſſe cauſam abditam, & rationi humanæ ignotam, ii fortunæ rationem non conſtituunt, ut ſatis bellè Alexander libro de intellectu explicavit: ſed ſtatuunt, in qua hominum habitudine ad cauſas ſe habet fortuna, & cauſa ac ratio in promptu eſt: nam qui noverit hanc cauſam, quam fortunam nominamus, is quid ſit fortuna quoq; cognoſcet: qui verò ignoraverit cauſam nō ſpectaſſe, neque ſibi propoſuiſſe ejuſmodi effectum, is etjam quid ſit fortuna neſciet. Præterea ſi cujuſpiā effectus cauſæ aliquibus fuerint ignotæ, & aliquibus notæ: profectò quid ſit fortuna aliquibus perſpicietur, aliquibus verò minimè: ſi enim (ut res planiùs tradatur) dicāt aliqui fortunam cauſam eſſe ignotam, quæ ab omnibus ex æquo ignoretur, hæc ſanè ars erit vaticinatrix, quæ nullis certis cōſtat principiis, & ex qua nihil certi cognoſci poteſt, qualis Geomantia, & Chiromantia, quarum principia nihil habent certi, quamvis ii qui illarum ſtudiis incumbunt, aſſerant ſe complura incantationibus ac carminibus & aruſpi-

cina

cina cognoſcere. Ariſt. tamen lib. de Hiſtoria animalium primo, & lib. problematum aſſerit, quòd lineæ latæ, ac per totam manum ductę, longitudinem vitę ac robur deſignant. Quare ſi qu id habere certi putetur, id totum ex aſtronomia mutuantur. Cæterùm qui cenſent fortunam inſcientibus ignotam eſſe, nec ii quidem rectè definiunt fortunam: quoniam ignari nec eas quidem ſcientias, quæ certæ habentur, callent. Proinde dicendum eſt, quòd fortuna, ſi eſt ignota nobis, hoc fit, quia non ſit definita neq; certa cauſa. Quare qui nituntur effectus fortuitos ad certã aliquam cauſam redigere, ii perperam agunt.

Quòd ſi objicias homines reperiri, quibus omnia quæ agunt, benè ſuccedunt, & alios contrà, quibus omnia malè: & nùm hæc poſſent redigi ad certam cauſam? Sunt qui id adſcribunt Deo, quemadmodum & inſomnia; id tamen non primò, ſed intercedentibus ſecundis cauſis. Alii referũt ad complexionem & temperiem, quam horoſcopus & ſtellarum configurationes largiuntur. Verùm mihi in præſentia dicendum videtur, bonam fortunam, hoc eſt, effectum bonum ſæpius ab hoc quàm ab illo provenire, eſſe per accidens: quod conveniat uni particulari non per certam cauſam, neq; per cœlum, aut Deum: & quamvis id frequentius uni quàm alteri uſuveni-

veniat, non tamen est ad Deum, ad horoscopum nascentis conferenda causa, quin potiùs ad fortunam, tanquam ad causam per accidens. Et licèt alicui contingat, ut sæpe sit fortunatus, attamẽ quia id uni est proprium, dicimus rarum esse, ut alibi latiùs disseremus. Dixit quidem Astristot. ubi plurimus intellectus est, est & pauca fortuna: verùm ubi vult distinguere causas, quasi quædam à causa per accidens, ut fortuna: in quibus enim est multus intellectus, est causa per se: at in quibus est multa fortuna, est causa per accidens.

Atq; hæc hactenus mihi dicta sint de bona fortuna: nam aliâs prolixior cum Theologis instituetur disputatio. Cæterùm hìc succurrit nõ levis dubitatio, an quæ fiunt à casu & fortuna, fiant à causa certa ac legitima? Respondent quidam, quòd ea quæ sunt à casu & fortuna, sint incerta nobis, natura tamẽ sint certa, quare naturæ quoq; necessaria, nobis verò contingentia. Inventio igitur thesauri dicitur à fortuna quoad nos, verùm naturæ est necessaria: dicitur verò cõtingens, quòd quoad nos non sit determinata. Cæterùm hęc adversantur Arist. quoniam sicut non datur cõtingens à se, & necessarium ab alio, ut docetur primo de cœlo: ita non dabitur necessariũ à se & contingens respectu nostri. Deinde, quod est per se tale, cum quocunque compa-

retur ſemper eſt tale:ſed id quod à natura determinatum eſt,eſt per ſe tale. Igitur ſi conferetur nobiſcum erit per ſe tale. Ariſt. item & Themiſtius primo Poſteriorum Analyticorum habent, quòd demonſtratio abſoluta nō ſubmittit ſe ad captum ingenii noſtri, quoniam per ſe talis eſt: ita quoq; effectus, qui ſua natura habet cauſam per ſe, quamvis ea homini ſit incerta, non tamen propterea appellabitur contingens,aut cauſa,aut effectus: ſed per ſe erunt neceſſaria, ex accidenti verò contingentia. Adhæc, diſtinguitur cauſa per ſe ſemper & cauſa ut in pluribus, ſuntq; ſua natura tales,neq; ſe accommodant captui ingenii noſtri. Sed Ariſt. 2. Phyſ.cenſuit, quòd ea quæ rarò fiunt, ſua natura ſint talia: quare non propter noſtrum cognitionem ſunt ejuſmodi,ſed quia ſua natura ſunt apta nata fieri: quod Averr.quoq; conceſſit. Dicendum ergo, quòd cauſa eorum ſit materia, quæ ob ſuam indeterminationem ſe habet ad utrunq; contrarium, ac propterea ſexto primæ philoſophiæ,ut ſuprà quoque monuimus, contingentia ad materiam referuntur, ceu ad cauſam indeterminationis ac indifferentiæ.

Cæterùm hîc rurſus emergere videtur dubium quoddam, an reperiatur aliquod agens contingens & indifferens,de quo Averr.cum Avicenna ſecundo Phyſi. digladiatur.Putavit enim

enim Avicen. quòd agens voluntate & intellectu, sit indifferens: cùm Arist. dicat, quòd agens rationale sit ad utrunq; contrarium: agens porrò naturale est ad unum ac singulare. Neq; id caret ratione, cùm enim natura sit agens, ut in pluribus & semper, & raró, rationi quoq; consonum est, ut sit agens æquale, idq; secundum naturam: cui tamen adversatur & alia ratio, nã si esset aliquod agens, quòd æqualiter duo agere posset, non hoc potius quàm illud produceret. Quare nihil produceret quod non sit major ratio de uno quàm de altero. Verùm mihi videtur respondendum, quòd licèt ratio sit ad opposita quoad potentiam agendi, attamen ut actui applicatur, semper magis hoc quàm illud aget vel ratione, vel sensu: ratione quidem, quoniam medium demonstrationis facultatem magis ad unum quàm ad alterum impellit: sensu verò, quoniam ipse magis ad alterutrum propendet, quem cùm insequatur ratio, hoc sibi quoq; potius quàm illud proponit. Quare ratio nõ potest esse indifferens, quod à sensu vel ab aliquo medio à sensu desumpto, eò dirigatur, ad hoc, ut illud magis amplectẽdũ. Proinde licèt ratio sua indeterminatione ad utrũq; propendet, cùm tamen actioni jungitur, magis ad hoc quàm ad illud accedit. Atque eam quoq; ob rem intellectus divinus non potest

esse indifferens ad mundi creationem: quòd occasio temporis, vel aliud ad actionem necessariò requisitum, necessariò quoq; præsens sit. Alioqui rationes Averr. quibus 8. Phys. astruere nititur à Deo nihil novi produci, nullius essent momenti aut efficacię. Igitur ęqualitas est in potentia passiva, atq; iccirco voluntas nostra ut passio, est indifferens; at ut agens est determinata ab objecto, vel appetitu sensus: ex quo liquet, quòd potentia indifferens & contradictionis, sit potentia materiæ: nam agens determinatum est: idq; manifesta ratione persuadetur, siquidem omne agens est in actu, sed quod est in actu, determinatur magis ad unum quàm ad aliud. Atq; ita intelligi debet, quòd potentia indifferentiæ sit potentia recipiens, juxta Philosophi quidem placita. Quare cùm intellectus & voluntas dicuntur potentiæ indifferentes, hoc intelligendũ est ut sunt potentiæ recipientes: quia ut agentes, sunt quapiam specie informatę, à qua inclinatur ad hoc magis quàm ad illud producendum.

Quòd si instes, quòd possim sedere & non sedere: concedendum quidem id est, attamẽ ad alterum agendum determinor vel ab electione, vel alio quopiam, atq; id ago, quamvis antea ad utrumq; eram in potentia. Quare verò hoc præ illo eligam, id innumeras habet

cau-

causas. Porrò cùm Arist. dicat potentiam rationalem esse contradictionis: intelligit quòd potentia sit anceps & indifferens ad recipiendum duo contraria, & ad ea producendum per successionem: producit enim primùm unum, deinde alterum. Atq; ob id Aver. sexto suarum destructionum dicere solet, voluntatem nostram esse passionem in principio: sed ut per unam speciem informatur, ad unum agendum determinatur. Id quod etiam sensit Arist. tertio de anima, cùm ait, principia motus localis esse appetitum cum specie informante, cùm sit immediatum agẽs, quod movetur à fine, quod est movens immobile ac primum, quemadmodum ipse eo loco docet. Verùm cùm vocemus cœlum primum alterans, quod à Deo, ac intelligentiis necessariò movetur, in quæstionem venit, an qua necessitate movetur ab intelligentiis, eadem moveat cuncta hæc, quæ globo lunæ subjiciuntur: quod est quærere de necessitate fati. Deinde vidẽdum est, an idem sit providentia quod fatum: nam Augustinus videtur dicere, quòd nomen fati sit Gentilium, non autem Christianorum, cùm inquit, linguam cohibe, & mentem retine: quasi velit quòd fugiendum sit nomen fati, quodq; ratio fati sit providentia. Cui Chrysippus quoq; astipulari videtur, ut infrà patebit.

An fatum sit.

CAP. XI.

COmmunis hominum de fato ſententia ſatis probat fatum eſſe, & multarum rerum cauſam: licèt unus repugnet Anaxagoras, qui id omninò tollit, & vanum eſſe nomen cõtendit. Verùm in illa re nulla illi eſt præſtanda fides, cùm (ut vulgo dici ſolet) famoſum non ſit ex toto falſum, eſt enim (ut Cicero quoque inquit) hominum conſenſus quaſi naturæ vox: eam ob rem Philoſophi nõ dubitant an fatum ſit. Sed non modica inter eos eſt diſſenſio, quidnam ſit, & in quibus rebus exiſtat. Multa quidem à cœlo evenire, quæ evitari nequeunt, Chryſippus, Bardeſanes Syrus, Oenomaus, & Diogenianus aſſerũt, fatumq; cauſam eſſe inevitabilem ajunt. Alii verò non obſcuri Philoſophi, fatum omniũ eſſe cauſam negant, multa enim dicunt fieri caſu & fortuna, quorũ cauſa evitari poſſit: pleraque etiam in manu noſtra, atque in noſtra eſſe poteſtate. Quapropter ut hæc antiquorum de fato placita innoteſcant, primùm nomen eſt explicandum.

Sententia Platonis de nomine Fati.

CAP. XII.

Qua-

QUatuor quædam nomina passim apud Platonẽ est legere, nempe Adrastian in quinto de Repub. scitum inevitabile in Phædro, leges quas Deus de universa natura dixit cœlestibus animis, in Timæo; & Lachesin in Politicis. Quę hoc pacto à Platonicis distinguuntur: nam per Adrastian, & inevitabile scitum, providentiam intelligunt: per Lachesin, necessitatem naturalibus inditam: per leges verò de universa natura, pleriq; omnes fatum, quę sanè lex est ordo, qui in sublunaribus servatur. Sed ut explicetur hic ordo, scire licet animam mundi apud Platonem in tres partes distrahi, in Sphæram inerrantem, in Planetas, & in sublunaria hæc quæ continua actione passioneque agitantur. Ac Sphæra stellarum fixarum ἄτροπος nuncupatur, quòd nullo pacto flectetur, neque ordinem suum mutet aut variet. Planetarum verò orbes, qui non uno motu cientur, appellantur κλωθώ. Natura postrema sublunarium λάχεσις vocatur. Cùm igitur fatum multifariam consideretur, in stellis fixis dicitur ἄτροπος, in planetis κλωθώ, & ut hæc omnia in nobis recipiuntur λάχεσις, quippe fatum cuncta hæc complectitur. Fatum itaq; est lex nobis promulgata, instar divinæ mentis, à qua hæc lex indicitur servanda à nobis juxta nostram conditionem. Hæc verò

lex, quam fatum appellamus, deliberandi facultatem relinquit, juxta Platonis decreta: estq; ejusmodi lex sub conditione, puta, si talem vitam elegeris, hujusmodi patieris: at hanc illámve vitam eligere, in nobis est. Et quamvis quæ semel elegeris, ea fatali lege pati necesse sit: attamen ad ejusmodi vitam amplexandam haudquaquam te fatum compellit, sed ubi ultrò eam nullo cogente elegeris; fatalis illa lex se comitem adjungit. Lex ergo & fatum ad causam, & (ut ita dicam) ad antecedens nos compellit, non secus quàm is qui legem promulgat, ut trito exemplo res facilior reddatur: exempli gratia, si quis homicidium committit, morte puniatur. Hæc lex non cogit, ut quenquam interimas, at ubi id tua voluntate patraveris, certum necessariumq; instat exitium. Atq; ita Lajo quoque dictum fuit, si liberos sustuleris, occideris. Ita etiam Thetis filio prædixit, si ad Trojam pugnaret, se amico necem paraturũ. Item apud Mosen Adæ interdictum fuit, ne fructum vitæ gustaret: Siquidem si eum ederet, ejiceretur. Quòd si fatum fuisset in causa, aut illi liberum non fuisset, alterutrum eligere: vel utiq; vetitum haud fuisset ne faceret: nam aliter facere nequivisset. Verùm quia poterat non facere, iccirco illi imperatum fuit ne ejusmodi quippiam committeret. At in natu-

ralibus

ralibus quæ consilio non aguntur, fatum est; ut qualem formam fuerint sortita, tales sint actus, taliaq; accidentia, quæ ratione formæ illis accedunt: non enim est fatum ut ejusmodi sint, sed ut ejusmodi ex aliis ita concessis ordinentur. Ignis quippe ob talem suam naturam, sublunaria calefaciendi, exiccandique facultatem obtinet. Quocirca Plato dicebat, causa est apud operantem Deus extra culpam. Atq; ex his quid sit fatum secundum actum patet.

Quæ ambigua sint in sententia Platonis.

CAP. XIII.

PRincipiò inspiciendum videtur, sitné idem secundum Platonem, providentia, & fatum, an diversum? Si idem, ergo quæ providentia, eadem fato quoque reguntur. Quòd si hoc dicat mihi, quæso Chalcidius, reliquiq; Platonici, quā providentiā in ordine & motu corporis orbicularis, debet habere Deus? cùm semper eodem modo in orbem vertatur: nulliq; labi ac mutationi sit obnoxium, cumq; eadem ratione qua à principio constitutum sit, perseveret, qua providentia Dei opus habet? illa siquidem indigent providentia, quæ non habent naturam constantem, neq; eundem semper servant ordinem: sed quorum substantia est æterna, semperq;

ſtatutum obſervant ordinem; qua, quæſo, opus habent providentia? indigent quippe agente cognoſcente, ut quemadmodum fieri debent, ſic facta perſeverent. Verùm cùm in illis nihil ſit futurum, ſed omnia ſint in fine, non eſt opus providentia, quæ eſt reſpectu futuri, ut doctiſſimè quoq; nos Alexander in quæſtionibus ſuis naturalibus docuit. Deinde in rebus quas tempus metitur, & quæ habent futurum, neceſſaria eſt providentia: at quæ ſunt in cœlo, carent futuro, quoniam omnia ſunt præſentia: ergo in illis non eſt fatum, neq; indigent providentia, quæ tantùm neceſſaria eſt in iis ubi diſtinguitur futurum à præſenti. Adhæc ſi ea ſentētia admittitur, ſcientia Dei eſt conditionalis, nā ſi Deus cognoſcit me patrare hoc facinus, aut certò cognoſcit, aut non. Si certò cognoſcit, ergo neceſſariò ad id facinus committendum impellor, alioqui Dei ſcientia falli poſſet, ſi non cognoſcit, Plato ſibi ipſi non conſtat. Nam undecimo de legibus inquit, omnium rerum vel minimarum Deum curam habere, ac intelligere, & poſſe. Præterea aut quia Deus id ſcivit, ideò futurum eſt: aut quia futurum eſt, iccirco ſcivit, non eſt fas illud dicere: quia cùm Dei ſcientia ſit neceſſaria, omnia neceſſariò evenirent. Verùm Plato multa fato, plurima natura ac poteſtate noſtra evenire

nire fatetur. Quare aut concedendum est, non esse omnium providentiam (quod non cohæret cum prædictis) aut omnium esse eventum necessarium. Quòd si Deus agit necessariò, quia actio ejus impediri nequit, quòd heri hæc materia hanc formam fuerit sortita, dicemus ex necessitate ita factũ fuisse: quod tamen Plato minimè fatetur. Huc accedit, quòd si Ideæ sunt causæ efficientes formarum naturalium, cùm contingat actionem impedire impedimentum erit necessarium: sin impediri non contingat, etiam hoc modo effectus erit necessarius. Quare omnia sive impediãtur, sive nõ, necessariò evenient, quòd ab ipsis impedimenta oriantur. Multa in hanc rẽ diximus in libello nostro de fato, quæ modò ne prolixiores simus, omittimus.

Quid Plotinus senserit de Fato.

Cap. XIIII.

PLotinus libro de fato, & multa ex Platonis sententia tradit, nempe, quæ sint in fato, quævé sub fato: deinde quomodo aliæ causæ agant, neque à cœlo necessitatem patiantur, licèt cœlum & ut sint, & ut agant, cooperetur. Docet quoque quo pacto anima nostra sit supra fatum, & in fato, & sub fato: ad hæc quòd Deus in nos liberè agat, & demũ in qua ratione ejus influxus præpediatur.

Su-

Sumit autem in universum, quædam facta esse,& quędam fieri. De his quæ facta sunt, nec amplius sunt, cùm nó subsistant, minimè est habenda ratio: de his verò quæ facta sunt, & subsistunt, aliud est dicendum: nam ea cadunt in primum divisionis membrum. Siquidem ea quæ sunt partitur in ea quæ fiunt ab alia,& quæ à seipsis: quæ ab alio pendent, alia rursus dividit ratione: nam aut semper fiunt, aut aliquándo. Porrò quæ naturam habent liberam à corpore, ea supra fatum vocat, aitq; fato haudquaquam subjici. At quæ corpora sunt in fato, & sub fato esse inquit: quoniam sive semper & internè, sive interdum & externè moveantur, alio opus habent, adventitiamq; recipiunt formam. Quare Democriti opinionem explodit, qui ex atomorum concursu omnia gigni censebat: namq; qui hanc tutari valet, ut omnia fato substerni concedat, omninò necesse est, quòd causæ primę sint corpora, atq; omnia ex incomposito inordinatoque motu oriantur: nihil enim ordinatum ex inordinato provenire potest. At verò, quòd nostrum corpus sit quoddam universum, à cœlo non cogi ait, neq; anima mundi nostra esse, sed à Deo pendere, atq; iccirco cœlo quoque pręstare fatumq; exuperare, neq; illa ejus necessitate compelli. Quod in causa esse inquit, quare homines communi excidio cun-

ćti

cti non pereant, & nequaquam omnes eadem hora naſcantur, multiq́; eadem hora nati eodem vitæ termino minimè claudantur: quinetiam diverſis eſſe moribus, quod idipſum Lycurgi experimento in canibus conſtare aſſerit. Poſtremò oſtendit Plotinus, fatum eſſe neceſſitatē quandam cunctis impoſitam, cui anima quoq; noſtra ſubjiciatur, ſi quādo ſenſuum affectibus agitur, tunc enim potiùs trahitur, quàm movetur: cùm verò corpore eſt abſoluta, tunc fati ſervitio emancipari, idq́; excedere. At quandiu corpori immergitur, eoq́; familiarius utitur, ob facultatē vegetabilem, túnc animam ceu agentem ac operantem unà cum corpore in fato eſſe ait, agereq́; pro fortunæ conditione: quod ipſum innuit quoq; Homerus, quod tertio de anima notat Ariſtoteles, cùm inquit: Talis eſt mens terreſtrium hominum, qualem indies inducit pater hominumq́; Deûmq́;. Vocat autem homines terrenos, quorum Deus venter eſt. Plato quoq; in Tymæo inquit, nimirum animas tunc diſcere fatales leges, cùm vehiculis conjunguntur: atq; hinc fati ſumuntur exordia. Verùm virtutem liberam eſſe, & ad animam ſpectare, tam humana quàm divina jura docent. Hinc liquidò conſtat, animā non aſtringi neceſſitate, quoniam etſi cunctæ cauſę cōveniant, tamen anima, cùm ſit una ex cauſis, ha-

habet liberam potestatem, retinetq; electionem agendi quodlibet. Unde rectè infertur ex Plotini sententia, quòd si omnes conspirent cum electione animę, sequi effectus, aliâs minimè. Proinde ex ejus dogmatibus particulares causas, quàm universales efficaciùs agere colligitur, quiq; effectus accidũt ab ortu, eos non à cœlo, sed à causis particularibus oriri, deinde adjungere se iis effectibus, non tamen esse præcipuam causam, quæ necessitatem afferat, haud aliter atque avium garritus, temporũ constitutiones, non tamen necessariò portendi. Quare cœlũ potius esse signum, quam veram efficaciam aut causam. Deniq; ea quæ ab intellectuali principio ortum sortiuntur, libera esse, nec ab iis mentem nostram pati: id autem apud Plotinum internè venit, nec ab his quæ sensibus obviam feruntur, ducit originem, occasionemvé capit. Verùm anima liberè operatur, quoties aliũde nõ præpeditur, quòd fato non subjiciatur. Habet nihilominus haud pauca impedimenta, nempe organorum ineptiam, dęmonum illusionem, ac vehementissimũ cogitationis motum. Unde hebetudo, oblivio, stoliditas, furorq; nascitur, quæ omnia rationem à vera sapientia præcipitant. Itaq; quid sit fatum, & quibus insit, & quæ ejus sit necessitas, quęvé sit hominis libertas, jam satis ex Plotini quidem placito liquere arbitror.

Quid

Quid sit in Plotini sententia ambiguum.

Cap. XV.

EX his Plotini dictis colligere licet, animam, ut mancipatur corpori, sub fato esse: ut verò absolvitur, nulla fatali lege astringi, esseque supra fatum. Verùm tum in Plotino, tùm in Platonicis reliquis multa desidero: nam cùm anima nunquam possit absolvi à corporis necessitatibus, quæ illi ex mutuo commercio obtingunt, idq; à natura coagmentãte, quare etiam utriusq; sunt communes, ut inquit Philosophus: nõ video quomodo erit supra fatum, cùm ejusmodi passiones proveniant concurrente adjuvanteq; fato, & natura semper aut ut plurimum adsint: quin potius si ab iis solveretur, esset præter naturam. Nec possimus dicere sua libertate id facere: quoniam hæ necessitates, quæ ex mutuo consensu proveniunt, tollunt contradictionis & indifferentiæ libertatem, quam in causa efficiẽte Peripateticus admittere recipereq; non potest, velut in libello de libero arbitrio ostendimus: etenim quæ vocatur libertas, indifferentiæ & contradictionis passio est, & non actio: neq; in causis efficientibus est hæc agendi indifferẽtia, licèt in homine sit potentia ad duo cõtraria, non quidẽ simul, sed vicissim: quod vel inde cõstat, ut inquit quoq;

Ari-

Aristoteles tertio de anima, quòd homo cognoscat futurum. Adhæc è Plotino quærendum esset, quo pacto cœlum sit signum & prima intellectio, & voluntatis actio (quæ volitio, si placet, dicatur) non sit à casu: & num sit à libertate, an à necessitate objecti. Deinde fatum videtur adscribendum esse corpori, vel iis quæ consequuntur corpus, nam à Plotino anima, quia consentit cum corpore, sub fato collocatur. Sed necesse est ut cum corpore conspiret, ergo necessariò sub fato collocatur. Quòd autem necessariò consentiat conspiretq; cum corpore, patet, quoniam ejus unio non fuit libera, quare neq; in potestate ejus est, ut se liberet a corpore: est enim in facultate illius qui eam cum corpore univit, inde eximere, alioqui si penes eam esset se vindicare atq; absolvere, fuisset utiq; in libertate sua se unire. Quòd si dicas, animam utrunq; facere, & se unire, & absolvere: respondemus, id quidem verum esse, ratione actionis intellectus & voluntatis, tamen ut unquã se à corpore absolvat, fieri nequit: quinimò multis de necessitatibus est indigens corporis. Proinde quòd magis vel minus corpori serviat, necessariò alia aliqua ab anima nostra invenienda est causa. Porrò Platonici animam à Deo immediatè produci pro confesso habent. Verùm id credendum quidem,

non

non tamen rationibus persuasum esse judico, ut libro de humana mente docuimus, ajuntque ipsi uti aliquando vehiculo, & quandoque non. Verùm qui nexum animæ & corporis naturalem esse ponimus, ac necessarium tam animam, quàm corpus sub fato esse, neq; inde se posse eximere, asserendum censemus. Si enim anima sese eximere posset actione atque essentia, aliquando posset sua virtute subsistere, ac esse citra corpus. Quòd si sua vi sine corpore subsistere haud potest, nec absq; corporis actionibus erit. Et quamvis intellectio sit facultas non organica, tamen, ut aliâs declaravimus, nequit esse sine corpore, & licèt nulla actio corporea cum intellectione communicet, nihilominus indiget anima sensu corporeq; ad intellectionem producendam: quòd nihil sit apud intellectum, quod prius non fuerit in sensu.

Chrysippi de fato sententia.

Cap. XVI.

PORrò Chrysippus longè aliter quàm superiores fatum interpretatur, quippe apud eum est series causarum, quæ evitari non potest; censetque omnia necessariò evenire, adeò, ut quicquid homo agat, à primæ causæ motu, & cœlo definiatur. Inquit præterea ni-

hil differre à providentia; & quæ à fato fiunt, à providentia fieri: licèt eò differant, quòd ut est Dei voluntas, dicitur providentia, ut verò est in causis, appellatur, estq;, ut paulò ante diximus, inevitabile. Ut hinc trium parcarum nomen, quæ ita apud latinos κατ᾽ ἀντίφρασιν (ut Græci loquantur) sumptum putes. Cùm enim fatum sit ejusmodi, ut evitari nullo pacto possit, dixerunt parcas, quòd nemini parcant, esseq; sorores. Quarum prima λάχεσις ἀπὸ τοῦ λαγχάνειν, quod scilicet sorte eveniat, nuncupatur: altera verò ἄτροπος, quòd verti minimè possit: & tertia κλωθὼ, quòd ordinatè omnia teneat: cui opinioni & astipulatur poëta, & ratione non caret. Homerus enim inquit:

Non est qui fixas parcarum avertere leges
Effugere aut possit. & alibi:
Mortalis nemo fugiet decreta sororum;
Improbus atq; probus debet sua corpora morti.
Idem Ovidius quoq; persuadet, cùm ait:
Tu sola insuperabile fatum,
Nata movere potes. & Virgilius:
Manent immota tuorum fata tibi. & alibi:
Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Sunt & rationes quæ id comprobant. Primùm naturalia movent, quia moventur, & movent ea ratione, qua moventur, sed necessariò moventur, quare ea quoque necessitate mo-

te movent, alioqui moverent, & aliquando non moverentur; atque ita omnia essent causata, non autem causæ. Quod hinc perspicuũ evadit, nam id quod movetur, & motu movet, materia est. Adhæc Deus necessariò agit, ergo cuncta necessariò sequuntur. Antecedens apud Philosophos confessum est: illatio verò probatur. Deus agit propter finem, non suũ, sed effectum, quem aut producit, atq; ita finis effectus necessariò producitur: aut non producit, & frustratur fine. Pręterea omnium effectus per se nisi præpediatur necessariò producitur: at omnis effectus, qui non impeditur, est effectus per se: ergo omnis effectus necessariò producitur. Major propositio patet, & minor confirmatur hoc pacto: esto aliquis effectus contingens & varius, puta inventio thesauri, qui est effectus per accidens, nempe fodientis, hic tamen est per se effectus causarum concurrentium. Siquidem hæ duæ causæ, nimirũ fodiens in hoc loco, & deponens thesaurũ, causæ sunt quare thesaurus inveniatur, neq; ejus inventio impediri potest, quia causis positis, tanq̃ quas effectus sint cõsecuti, necessariò sequitur effectus. Unde concludas, si omnis effectus est per se, qui impediri nequit, ob illũ cõcursum necessariũ omninò est, ut is necessariò eveniat. Deinde esto hic effectus, nẽpe thesauri invẽtio, fortui-

tus: aut erit apud Deum fortuitus, aut non. Si illud concedas: erunt quæ non subjicientur Dei providentiæ, sin est effectus per se, quoad Deum: erit quoq; per se, quoad omnes alias causas. Quare palàm erit (quoniam Deus agit mediante cœlo, cœlum verò, cùm sit causa universalis, debet, ut effectum producat, habere causam particularem) patet inquam, hunc esse per se Dei effectum, quoniam non est fortuitus. Quocirca si eum Deus sibi per se proponit, movet per se ad eum producendum. Propterea per se quoque invenit media quæ per se ad eum moventur: alioqui fieri posset, ut Deus frustraretur. Media porrò sunt causæ quæ Deum atque effectum inter mediæ intercedunt. Quare omnes illæ causæ per se sibi proponunt eum effectum. Deniq; omnes opiniones Philosophorum, qui eventum, quem passim vocamus contingentiam, conferunt in materiam & libertatem, in voluntatem corruent: nam nihil horum reperietur, omniaq; ita fient necessariò. Antecedens declaratur: quoniam voluntas necessariò sequitur intellectum, atq; iccirco est necessaria: quare patet, quòd intellectus sit causa naturalis, & agat necessariò, voluntas verò est comes intellectus, perinde ut umbra corporis, ut docet Averr. 12. primæ Philosophiæ, com. 39. ergo necessaria est. Deni-

que

que quoniam materia eſt cauſa monſtri, verbi gratia hominis bicipitis, copia materiæ erit agens, quæ ſi ponitur agens, neceſſariò ſequetur effectus is, quare non erit contingens & rarus, ſed per ſe. Atq; hactenus de Chryſippi ſententia.

Quid ſit controverſum ac dubium in Chryſippi placito.

CAPUT XVII.

ARiſtoteles, Plato, cæteriquе ferè omnes Philoſophi hanc Chryſippi ſententiam deteſtantur, ac inprimis Ariſt. qui lib. de interpretatione eam ad manifeſtiſſimum deducit incommodum: ſi, inquit, omnia ex neceſſitate fiunt, nihil opus eſt aut conſultare, aut res agendas aggredi: contrà tamen fieri videmus, & futura à plurimis proſpiciuntur, ut videre quoque eſt apud eundem ſexto primæ Philoſophiæ, Quin & Homerus eam increpat, dum primæ Odyſ. ait:

Accuſant falsò ſuperos, ſtultiq; queruntur
Mortales, etenim noſtrorum cauſa malorum
Nos ſumus, & ſua quæq; magis vecordia lædit.

Adhæc, quid eſt aut Socratis exemplo vulgatius, quo oſtendas omnia non fieri neceſſitate? quippe in quo tantum Philoſ. ut ingenium naturamq; mutarit, atq; ab iis vitiis,

in quæ ſuapte natura erat propenſiſſimus, avocarit? Aut quid canibus illis Lycurgi popularius, in quibus inſtitutio id alterũ ſequi coëgit, quod alter fugeret? Deinde, illi ipſi, qui hanc opinionem tutantur, in vitia declamãt, ad bonos mores hortantur, conſulunt, laudant, & viciſſim laudantur; multaq; in eo genere ſcribunt, quæ quis, quæſo, libertatis ſigna eſſe negaverit? Præterea ſi omnia fierent natura, nulla eſſet vel laus, vel vituperium: & malus juxtà ac bonus naſceretur. Et cùm Ariſt. Phyſiciq; omnes tres ob rationes malos evadere contendant, ob naturam ſcilicet, rationem, ac conſuetudinem: una tantùm eſſet ponenda cauſa. Huc accedit, quod Bardeſanes ſcribat apud Gallos jam olim inoleviſſe uſum nefandum, quo pueri publicè nubebant: neque aliqua lege notabantur. Fieri profectò non poterat, ut omnes Galli florente jam ætate, Venerem & Mercurium, in domo Martis & Saturni, terminos accidentarios haberent, potiſſimum cùm Galli id in primis deteſtentur in præſentia, & eos qui ejuſmodi notantur flagitio, graviſſima ignominia plectant. Sunt & rationes Petri Pomponatii, qui hanc ſententiam mordicùs defendit lib. ſuo de Fato. Verùm nos in noſtro ejuſdem argumenti libello eis abundè ſatisfecimus: quas ſi quis poſtulat, indè petat licebit.

Quid sentiat Arist. de Fato.

CAP. XVIII.

NIcolaus Peripateticus, eo libro, qui de mundo falsò Arist. ascribitur, multa de Fati nomine adfert. Verùm ego de nomine parum sollicitus, dico duas esse in nobis causas, propter quas hæ indifferentiæ & indeterminationes proveniant. Unam, quæ verè est in nobis, atq; in nostra potestate, quæ est ratio ac intellectus, ut in libro nostro, An homo bonus vel malus volens fiat, diximus: & alteram, quæ est materia, quam primam nominamus, à cujus indeterminatione (ut Aristoteles quarto de generatione animalium, loco sæpius à me citato, docet) ea quæ temerè & fortuitò ac casu fiunt, oriũtur. Non tamẽ datur causa efficiens indifferentiæ, cùm non reperiatur agens æquale, ut suprà docuimus. Adhæc scire licet, quòd illa quæ rarò eveniunt, sua natura sunt apta nata impediri, ut in pluribus, attamen non impediuntur necessariò, neq; ob aliã causam, nisi quòd materia sua indeterminatione possit formas quæ impediunt recipere à causis indeterminatis; quę quamvis vocentur per accidens efficientes, tamen ad nullam causam certam reduci queunt, quę hunc effectum fortuitũ per se inten-

dat. Quin ad hunc effectum producendum, hic causarum nexus hunc effectum per se haudquaquam sibi proponit. Puta, si quis fodiens terram, ut plantet aliquid, inveniret thesaurum, thesaurus inventus est, non ob fossionem, neq; ob plantam, quam sibi proposuerat, neq; ob aliquam stellarum configurationem: sed hæ causæ, nempè fodere terram, & plantare, ad thesauri inventionem convenerunt per accidens. Neq; dici potest conventum stellarum fuisse per se causam, ut mathematici conantur demonstrare: quoniam necesse esset quòd aliqua causa particularis, ab ejusmodi stellarum coitu, ad hunc effectum producendum, nempe ad thesaurum inveniẽdum, per se mota fuisset. Verùm conventus stellarum nullam causam particularẽ cujuspiam effectus sibi proponit, quoniam cùm stellæ sint causæ universales, particularem effectum natura sibi primùm non proponunt. Siquidem universales causæ per se universalium effectuum sunt causæ. Inventio autem thesauri, cùm sit particularis effectus, necessariò habet causam particularem, quæ redigi ad causam universalem, nisi multis mediis nequit. Quare à causa universali non depromitur per se effectus particularis. Neque fides adhibenda est præstigiatoribus, qui in singularibus se futura prædicere posse profitentur,

tentur, eamque artem ſimulant, qua ſimplicibus animis imponant, quod Alexander quoq; monet ſecundo de anima. Quare ut quid ſentiendum ſit, pateat, primùm videndum eſt in quibus ſit fatum : in æternis quippe, iisq; quæ ſemper eodem ſe habent modo, ac uniformi motu cientur, ceu in cœleſtibus, nullo pacto ratio fati admittenda eſt : ſed nec in mathematicis adjungenda eſt fati ratio, nã quòd triangulo ſint tres anguli, duobus rectis ęquales, nec ex fato, neq; ex cauſa fatali id habet. Quin nec in naturalibus fato locus eſt, quæ ordinatam certamq; generationem obtinent : ea nanq; extra fatum omninò poſita ſunt, non enim ſol fato in hyberno aut æſtivo ſolſtitio verſatur. Quare fateamur neceſſe eſt, fatum in rebus generationi & corruptioni ſubjectis, quæ poſſunt ad oppoſita ferri, reperiri. Proinde in natura, non autem in arte fatum verſatur, quæ igitur ex arte ac propoſito fiunt, ex fato eximenda ſunt, atque ea fato fieri dicimus, quæ in noſtro non ſunt arbitrio, ſed à natura. Igitur ut in pluribus, quẽadmodum & ea quæ natura fiunt, non autem neceſſariò fiunt, ea quæ fato eveniunt, & ut præter naturam ſunt quæ fiunt raró, ita & quæ fiunt fato. Itaque quæ caſu fiunt à materia extra fatum ſunt, quòd à nulla cauſa certa & determinata fiant. Fatum ergo quamvis

ſecundum Alexandrum & Ariſtotelem primo Meteororũ, & quinto phyſicæ auſcultationis, ſit natura: tamen cùm dico fatum, ſignifico determinationem & legem, quæ eſt in pluribus: cùm verò dico naturam, ſignifico cauſam, à qua actiones proficiſcuntur: quare diſtinguitur fatũ à natura ratione caſus, porrò, cùm ſint extra naturam, ſunt extra fatum, & à nulla cauſa efficiente determinata proveniunt. Quęres fortaſſe an Deus, quæ ſunt pręter fatum & naturam, cognoſcat: nam ſi cognoſcit, ſunt determinata & certa, quòd in divina notitia nihil ſit incerti. Sin minus cognoſcit, quædam Deum ſubterfugere ac latere videntur. Sed huic Alexander ſatisfacit, inquiens, Deum ea illo modo cognoſcere quo fiunt, ac ſunt. Si fiunt caſu, ea quæ fieri poſſunt cognoſcit, novitque caſu fieri ubi facta ſunt. Melius enim eſt ita ſentire cum eo quod ſenſus confirmat, quàm quod inanis ratio. Quòd ſi objicies, Deum determinatè cognoſcere: at ſi ita noviſſet, ut aſſerimus, ſcientia Dei falli poſſet, eſſetq; contingens. Reſpondendum rurſus puto, quòd Deus eodem modo cognoſcat res, quo ſunt ac fiunt. Si ſunt poſſibiles, antequã fiant, cognoſcit eas ut poſſibiles, & ut fieri queunt. Quòd ſi iterum inſtes, ſi Deus cognoſcit res ut poſſibiles, ſcientia Dei variaretur, neq; eſſet ſtabilis. Dicemus, divi-

divinam ſcientiam, quoad res, variari nõ poſ-
ſe, cùm res poſſibilis ſemper ſit poſſibilis: atq;
ita, ut poſſibilis à Deo cognoſcitur: neq; un-
quã Deus aliter rem novit, quàm ut eſt. Quòd
ſi alio modo eveniant quędã, ea Deus non co-
gnovit, niſi quòd contrario modo poterant
evenire, neq; hæc indifferentia judicat muta-
tionẽ, quia ſemper cognoſcit rem poſſibilem.
Nec poteſt præter hoc inferri, Dei ſcientiã nõ
eſſe determinatã, & certam: quia apud Philo-
ſophos res à Deo eo modo cognoſcũtur, quo
fiunt & ſunt, ut diximus. Quòd ſi quis adhuc
proterviat, & objiciat, Dei ſcientiam eſſe cau-
ſam rerũ, ut Ariſt. duodecimo primę Philoſo-
phiæ teſtatur. Dicas, eam eſſe cauſam rerũ in
univerſali, nempe motu ſuo, ac mediis corpo-
ribus: nam ſi concedemus Deum res cogno-
ſcere ac intelligere, neceſſe eſt ut eo modo
quo ſunt, ac fiunt, cognoſcat: nã ita à cœleſti-
bus corporibus eveniunt. Neq; verè affirmã-
dum arbitror ex Philoſophi quidem ſenten-
tia, res caducas ac ſublunares à Deo cognoſci
ſub univerſali vel particulari ratione, quãdo-
quidem ad utrunq; ſequitur abſurdũ: ſed co-
gnoſcit cauſas à quibus hæ fiunt ac generãtur,
in particulari verò, & in propria natura haud
cognoſcit, niſi velimus dicere quòd eas co-
gnoſcit in illis cauſis, quatenus ſcilicet in cor-
poribus cœleſtibus continentur, quę quidem
co-

cognitio ab aliis dicitur cognitio eminenter. Et quanquam fundimus preces, ut mala avertantur, & aliter res fiant, hoc fit, ut inquit Alexander, quòd Dii servaverint locum nostris precibus, ut earum auxilio possint exerceri: quòd ea sit natura fati, ut possit præpediri. Verùm ita Alexander videtur particularem quandam cognitionem Deo tribuere. Quare fortassis rectiùs diceretur, quòd cum non habeamus aliam causam præter Deum, omnia nostra illi tribuimus ex pervulgata hominum opinione: atque ita quoque illi supplicamus ex fide populari, quæ credit Deum posse cuncta propulsare atque avertere. Attamen Peripateticus censet Deum non cognoscere hæc inferiora, ob summam suam perfectionem, qua à nobis distat, cognoscit autem nobiliori quodammodo, quatenus ea in sua essentia cernit. Quare sive evertantur, sive non, id Deus non curat: licèt vulgus id illi asscribat (ut dixi) ceu causæ superiori. Ita quoque Deum his inferioribus prospicere & providere, neque per se, neq; per accidens, negamus. Verùm ipsa certa quadam habitudine à primis corporibus gubernari dicimus, unde ordinem participant. Atque hæc (ut aliâs quoque diximus) habitudo potius est (ut omnis virtus à cœlestibus gubernetur) quàm providentia vel per se, vel per accidens

pro-

propriè quidem loqui volenti. Id quod ſentit Averoës ſecundo Phyſicorum, cùm ait, Deum habere ſolicitudinem circa hęc inferiora, quæ non eſt verè providentia, ut rectè judicat Alexander ſecundo libro ſuarum quæſtionum naturalium. Atq; hæc in præſentia ita leviter attigiſſe ſatis ſit. Dabitur enim aliquando ea diligentius excutiendi occaſio. Vale.

FINIS.

IN-





INDEX CAPITVM.

Libri primi.

Libri secundi.

Utrum

INDEX.

FINIS.

